DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

FEBRE LETHIFERA HIPPOCRATIS,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, DUCAT. MAGDEB. GUBERNATORE,
RELIQVA,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE
PRORECTORE MAGNIFICO,
DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FACULT. MEDIC.
DECANO SPECTATISSIMO,
DN. PATRONO, DOCTORE AC PROMOTORE SUO
omni Obſervantiæ atque Honoris Cultu ætatem colendo,

PRO GRADU DOCTORALI,

Summisque in Arte Medica Honoribus, Inſignibus ac Privilegiis,
More Majorum Solenni obtinendis,
Ad d. Maj. MDCCXI. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
Publicæ Eruditorum diſquiſitioni exponet
JOHAN. GOTTLOB. TITIUS,
WINZIGA SILESIUS.

HALÆ MAGDEB. Typis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.

PROOEMIUM.

ANtiquitatis ſtudio, qui delectantur, in illo quidem facilè invenire poſſunt, quod menti curioſæ gratum & acceptum haberi mereatur; interim nemo etiam negaverit, bono jure, quin unum aliquod ſit, verè antiquiſſimum, quod ipſum rectè obſervatum, atque diligenter perveſtigatum, & animum ſciendi cupidum eximiè oblectare, & aliud quodlibet operæ pretium facere, valeat. Eſt hoc VERITAS. Cujus ſtudio, licet ab omni ævo non defuerint, qui operam dederint, tamen, cum ipſa omnibus ex æquo in medio poſita ſit, equidem teſtimonia de illa, minimè contemni debent: interim tantò minus negligi, quid ipſa de ſe loquatur, aut ita manifeſtò oſtendat, ut ne quidem teſtimoniis opus ſit, pro illa clariori luci ſiſtenda, niſi, quod in proverbio eſt, Soli lumen accendere, videri geſtiamus. Valet hoc inprimis de illa veritate, quæ rebus ipſis indita, iiſdem ita inhæret, ut illam conſpicuam reddere liceat, ſola attentiore harum rerum contemplatione, nullo alio teſti-

monio, aut autoritatis prærogativâ, ad hunc finem, neque neceſſaria, nec ullum effatu dignum momentum conferente. Quamvis enim de geſtarum atque præteritarum rerum veritate adſtruenda, eximia, imo unica laus, fidæ autoritati debeatur: aliter tamen ſe res habet, cum perpetuarum rerum vera indole, his inhærere ſolita. Imo, cum ad hanc recte perveſtigandam, dexteritas perſcrutandi, & ſolerter obſervandi, maximum momentum adferat; quæ licet antiquioribus denegari minime poſſit, tamen etiam poſteris in dubium vocari minime debeat: non poteſt propterea antiquitati alia prærogativa hic adjudicari, ſi non unicè in eo, quod non minus ſtudiosè partes ſuas tam ſumſerit, quam impleverit, quàm à ſolerter curioſo ingenio, ſive poſtulari posſit, ſive expectari mereatur. Ubi, cum diverſæ ætates, diverſis ſubſidiis inſtructæ fuerint; & nonſolum plura propemodum, poſterioribus ævis commoda obtigerint, è mathematico-mechanicorum, chymicorum atque Geographicorum ſtudiorum magis magisque luculenta tractatione; ſed etiam & tanto facilius, & tanto utilius, ſit, inventis aliquid addere, & jam ab aliis inſtitutas obſervationes, ulterius tam locupletare, quam augere & excolere; non deneganda eſt in hac parte poſterioribus ætatibus prærogativa talis, quam illæ non tam ab antiquioribus ſimpliciter acceperint, quam ab illorum laboribus præviis perceperint, imo illis ipſis adjecerint. Clara ſatis paſſim eſt res in Medica hiſtoria. In qua quidem ſatis remotæ antiquitati, adeo non deneganda venit juſta ſua laus, ut illa potius parum propemodum poſteris reliquerit, quod verè novis incrementis expolire valuerint: Interim tamen ſatis liquido etiam comparet, quomodo

anti-

antiqui noſtro reſpectu, adhuc antiquiora ipſorum reſpectu, exaſciaverint: & ſit hodieque, ubi etiam ipſorum induſtriæ aliquid adhuc adjici poſſit, & ſubinde mereatur, imo neceſſarium aliquando exiſtat. Valet hoc imprimis de ejusmodi rebus, quarum vera indoles, non tam nuda obſervatione exhauriri valet, ſed judicio aliquo, ſeu diſcretione, indiget. Qua in re, uti primis obſervatoribus ſummo jure aliquid condonandum venit, quando non ſatis, è paucioribus adhuc exemplis, comparationes debitas abſolvere valuerunt; ita tantò magis utique decet poſteros eò conniti, ut inventis jam antè, invigilent, & hoc emolumento ad ulteriorem perſpicaciam aſſequendam, rectè utantur. Sic enim non decori ſolum tale inſtitutum, ſed neceſſarium paſſim adhuc, eſſe arti medicæ, nemo neceſſitudinum ejus vere peritus, negare ſuſtinuerit. Et cum, per dicta, hæc veritas, de qua nobis ſermo eſt, rebus ipſis inhæreat, non poteſt quantumcunque ſolertem obſervatorem ita facile fallere aut ſeducere, præjudicium aliquod, aliter adhuc ſentientium aut recitantium: Juſtiſſime autem ſuadere ipſi debet, ejusmodi cautam circumſpectionem, ne ille unus, ex unâ aut alterâ ſibi oblatâ animadverſione, aliorum traditionibus ſtatim fidem detrahere properet: ſed potiùs omnia tanto majore cum cura, induſtria atque aſſiduitate, examinare cordi habeat, quando aliquos diverſum percepiſſe ſibi viſos, ſive comites invenit, ſive præceſſores. Ut de hac re ita generalius allegata, exemplar qualecunque exhibeamus, occaſionem nobis ſuppeditat neceſſitas, exhibendi INAUGURALIS SPECIMINIS; pro quali, cum Clinica praxi dignum aliquod exemplum eligere, è re noſtra viſum nobis ſit, placuit ab Hippocrate com-

 memo-

memoratam hiſtoriam FEBRIS MORTIFERÆ breviter expendendam nobis ſumere, & aliqua circà illam, obſervatu non indigna, contemplari.

Velit autem Deus ter Optimus Maximus, ut hic noſter labor & feliciter ſuccedat, & utiliter cedat.

§. I.

QUod jam alias elocutus eſt pro ſua ſententia D. Præſes, de *Hippocratis* imprimis, quin etiam aliquorum eundem ſubſecutorum, poſteritati relictis ſcriptis, quod nempè circa *hiſtorias* morborum, & quæ ad illos propius faciunt, commemoranda, ut plurimum ita exactè verſati ſint, ut, ſi non totam hanc hiſtoriam *abſolverint*, adeoque omnia, quæ circa has res *vera* ſunt, ediſſeruerint, tamen quæ dixerunt, *vera* & rerum veritati conſentanea, protulerint: è diverſo vero, quando non tam nudæ *narrationi*, ſed *rationi* talium rerum aſſignandæ, animum deinde adjecerunt, ibi ſatis ſæpè adeo a reliqua illa ἀκριβεία deflexerint, ut parum inter utramque proportionis inveniri poſſit: Hoc ipſum aſſertum repetimus denuò, in præſenti noſtræ tractationi ſumpto ſubjecto. In quo nempè ſimiliter optimus Senex, morbum aliquem, licet ſatis breviter, commemorat, cujus *phænomena*, & quæ ipſum ſtipare conſueverunt, *ſymptomata*, *decurſum*, *periodum*, *exitum*, ita enarrat, ut aliquid, *veritati* non ex aſſe congruum, protuliſſe, nequaquam inſimulari poſſit: interim tamen vel *omnia*, quæ talem morbum interdum larvant, *ſchemata*, notaviſſe, vel de ejus vera *propriâ* indole, ſive *in genere*, quæ potuerat, elocutus eſſe: vel quæ ad *ordinatiorem* ejus curam inſervire poſſent, innuiſſe, non æque laudari, aut hoc de illo adſtrui, poſſit.

§. II.

Quam rem ut paulo attentiùs evolvere liceat, transſcribemus ipſam *Hippocratis* narrationem. Exſtat illa Lib. 2. *de*

mor-

morbis, ſub titulo πυρετὸς ὁ φονώδης λεγόμενος, Febris quæ *mortifera, internecina* aut *acciſoria*, dicitur. *Febris* & *Rigor detinet; ſupercilia ſuſpenſa eſſe videntur, caput dolor vexat, vomit ſalivam calidam, & multam bilem, interdum etiam per inferiora* (talia) *dejicit: oculorum loca eos non ſatis capiunt, dolor occupat cervicem & inguina, infirmus eſt, & delirat. Hic intra ſeptem dies, aut etiam prius moritur. Quodſi vero hos ſuperfugerit, ut plurimum ſanatur. Morbus autem* θανατώδης *eſt*, mortis metui *proximus*, ſeu juxtà Græcorum uſitatam expreſſionem, mortifero eventui *Similior*.) *Huic refrigerantia ad viſcera & caput admovere oportet, & hordea torrefacta unà cum paleis, confracta, bibenda exhibere, & ex aqua, in qua macerata fuerint, colata, mulſam conficere, eamque dilutam propinare. Cibus autem non offerendus, neque ſcorbitio, ante ſeptem dies, niſi debilis tibi videatur. Qualis ſi ſit, ptiſanæ ſuum frigidum, liquidum & paucum, bis per diem, exhibeto, cui aquam ſuperbibito. At ubi ſeptimus dies præterierit, & febris remiſerit, milium lambat. Sub veſperam cucurbita, & paucæ betæ exhibendæ, vinumque album aquoſum ſuperbibendum, quoad nonum diem attingat. Deinde quam minimo Cibo utatur, milio in prandio ſumpto. Balneo, quam diu dolor & Febris detinet, non utatur: poſtquam autem ceſſaverit, multa lavet. Quodſi venter non demittat, molli clyſmate ſubluatur; aut glande admota provocetur. Ubi vero vires valuerint, admoto naribus molli medicamento, purgetur alvus per inferiora. Poſt hac lac aſininum bibat.*

§. III.

Hujus commemorati morbi, ſi primo loco reſpiciamus *titulum*, præfert ille *uſitatam* appellationem; quod hic morbus dictus ſit aut *dicatur* φονώδης. Talis, qui *lethali* eventui quaſi *ſimilis*, nempe quam *proximus*, deprehendatur. Hæc *appellatio*, quamlibet, ceteris paribus, veritati conſona ſit; nempe verum, quod talem affectum, *mors* haud difficulter, adeoque *haud rarò*, ſequatur; tamen, cum nullam

aliam

aliam conſpirationem, aut reſpectum habeat, ad morbi hujus *cauſas*, ſed ipſum ſolum, ut *mortis* cauſam, notet: manet inde hic quoque verum, quod diximus, quod hoc quoque loco, quæ dicta ſint, *vera* ſint, quamvis non *omnia*, quæ *vera ſunt*, exhauriat, aut complectantur.

§. IV.

Poſtquam autem ulterius progreditur, & non fortè *ſuſpectam* ſolum, aut è quocunque phænomeno colligendam, *malignam* efficaciam & concurſum noxium, *bilis*; ſed planè *rejectionem* ejus, & *multæ* quidem, per *vomitum*, cum *ſaliva* etiam calida, recenſet: mirum videri poſſit, quod non de qualicunque *cauſali* nexu, *quid*, & *quomodo*, *bilis*, in tali caſu, ſive *agat*, ſive *patiatur*, diſquirere ſuſceperit. Verum enim vero *inchoanti* Dogmata Medica, nonſolum condonari hoc debet; ſed etiam laudari, quod *methodum* ingreſſus ſit, ad ſtabiliendas ſcientias, quam maxime appoſitam, & verè *naturalem*. Proponendo nempe antè omnia, primo loco, rem ipſam, totam *ſinceram*, ſine interpoſito ullo, ſive *autoritatis* ſuæ, ſive *opinionis*, præjudicio. Quæ quidem res, imprimis ad exemplum, laude ſua minimè indigna eſt. Ut optandum potius, ſi vota rem expedirent, eſſet, ut illa diligenter ſervaretur; & ut nonſolùm, ante omnia, veræ rerum *hiſtoriæ*, *primo* loco, ſine interſceniis, exponerentur: ſed etiam, antequam plenè enarrari poſſent, nihil daretur præmaturis *concluſionibus*, quam diu mutilæ adhuc ſunt *præmiſſæ*, & circumſtantiæ, ſub quibus reo verè exiſtunt, nondum omnes conquiſitæ.

§. V.

Non autem ſimpliciter, ut deinde in contextu facit, MORBUM *lethiferum* nominat; Eſſe FEBREM, repetit in enarratione, dicens, quod ita affectum *Febris* detineat. Equidem per plura ſecula vix quisquam in dubium vocare ſuſcepit, quid *Febris* nomine apud Medicos intelligatur: tantò minus autem dubio locus relinqui potuit, è *Græcorum* artis promachorum appellatione; qui πυρετὸν imò πῦρ appellando, neminem

minem dubitare ſinunt, *frigus* an *calorem*, nedum quidquam aliud, hoc nomine indicatum velint: unde tantò apertius eſt, quod *Hippocrates* hoc quoque loco, inſigni *calore, æſtu, ardore*, affectum intelligat ægrum, quando *Febre* detineri aſſerit. Et certè exprimit hoc aliis in locis clarius, quando hujusmodi *Febribus* affectos, *intùs uri* memorat. Laborant enim utique, inprimis quidem *interno, ardore*, atque *ſiti*: tamen etiam *externo calore p. n.* imo *æſtu*; quando *obtectum* ſervare corpus ſuſcipiunt. Tantò magis autem evidens eſt perpetuus *calor*, ex augmento inſigni *pulſus*, tam in *frequentia* ſucceſſuum, quam *celeritate* impulſus, inſoleſcentis.

§. VI.

Pergit *Hippocrates*, poſtquam velut *in genere*, Febrem utique nominavit, ubi de *mortifera* febre ſermo eſſe debebat, huic ſtatim jungere *Rigorem*. Quid hoc vocabulo proprie denotare ſueverit, tàm *Hippocrates*, quam *Galenus*, ex inſtituto præſente loco deducere, non ſolum non poſtulat, ſed ne fert quidem, noſtræ tractationis juſtum filum; & adhuc minus iterum dico, *prolixe*, deducere, ſeu potius enarrare & transſcribere, quæ ſit differentia, apud *Hippocratem* æque, atque *Galenum*, (qui etiam proprio ſchediaſmate differentiam *Rigoris*, & *Tremuli Horroris* deſcribere ſuſcepit,) inter *Rigorem* & *Horrorem*: Breviter autem redit res eò, ut vocabulo quidem *Rigoris*, aliquid *tenſivum, ſpaſμῶδες, convulſionum* ſuſpectum, ſecundum rei veritatem, intelligendum veniat. Quæ res, inſignes, (licet innominatâ verè ſenſibili cauſâ,) inquietudines, excitat, ob quas patiens, jam totius corporis, jam ad minimum artuum, unum eundemque ſitum, diu ſervare non valet: ſed huc illuc aliter ſitum mutando, obſcuræ huic *tenſioni* ſuccurrere atque conſulere, ſuſcipit, unde ab impatientiore hujusmodi conatu, *jectigationes* inquietæ. Quamvis autem *Galenus* allegato libello, τὸ ῥίγος, pro ſumma *refrigeratione* corporis uſurpandum cenſeat, & *horrorem*, quaſi minorem ejus gradum conſtituat; tamen, cum ſimul adſtruat, τὸ ῥίγος, per frigus cum dolore exprimendum: præterea extra

 hanc,

hanc, Medicam, ſcholam, vocabulum ῥιγέω, non tam ſimpliciter pro *frigeo*, aut à *frigore* inhorreſco, ſed etiam pro *horreo* ſimpliciter, & *obrigeſco*, in uſu ſit: non incommode hinc colligere licet, quod non tam de *Rigore cum frigore*, ne dum *à* frigore, minime omnium autem *de* frigore, ut præcipuo, tota hæc res, quæ ῥίγους nomine notatur, accipi debeat: ſed plus reſpectus habere, ad *dolorem* illum, quem *Galenus* notat, cum ſuppoſito frigore *conjunctum*, quam ad ipſum *frigus*. Qui vero dolor nullus eſt expreſſe nominatus, ſed magis *tenſorius* ille, *ſpaſμώδης*.

§. VII.

Videtur autem hæc res tanto magis diluceſcere poſſe, partim ex ipſo *Hippocrate*, partim è *hiſtoricâ* genii talium morborum veritate. *Hippocrates* quidem lib. I. *de Morbis*, *Rigorem* opponit, ipſa ſerie tractationis, *Calori*; & *cauſam* hujus, collocat in *refrigeratione ſangvinis*, & hinc neceſſaria refrigeratione totius *corporis*, â quâ *ſequi* dicit illud, quod appelletur ῥίγος: Mox ſubdit, quod *tremor* excitetur, quando *ſangvis* quàm maxime *coëat* atque *denſetur*; quam denſationem ſequatur *contractio vaſorum*, contracta vaſa *corpus contrahant*, unde ſequatur *Tremor*. Hoc, (ubi quidem ſolam *denſationem* ſangvinis nominat, cui tamen *contractiones* atque *tractiones* ſuperſtruxit) ſi minus ſeu *mitiùs* fiat, contingere, putat ῥίγος: cujus tandem mitiſſimum *gradum* dici memorat *horrorem*. Ut adeo manifeſtus ſit ex his ipſis *Hippocratis* expreſſionibus, ſenſus, quod tam *horror*, quam ῥίγος & tandem ipſe *Tremor*, equidem, ex ipſius mente, *ſequantur* σύνοδον, coëuntem *denſationem* ſangvinis, cui quidem etiam τὸ ψύχεσθαι, ſeu *refrigerationem* corporis, imputat: interim nihil horum, neque τὸ τρέμειν, neque τὸ ῥίγος, neque τὴν φρίκην, *Tremorem*, *Rigorem*, *Horrorem*, eſſe *ipſum* Frigus: ſed eſſe *à* frigore, & hoc quidem *mediatè*, per *contractionem* corporis: cujus *ſummus* gradus, concuſſionem, ſeu *Tremorem*, *mitior Rigorem*, minimus *Horrorem*, formet.

§. VIII.

Ex ipſa verò vera *hiſtoria*, etiam hujus ipſius, quem præ manibus habemus, Affectus, notandum omninò venit, quod, licet ille, cum *frigore* patientem invadat; & imprimis per dimidiam horam, aut ampliùs, ſatis (etiam vulgari vocabuli ſenſu) *horrido*, imò verè *tremulo*; tamen talis modi gradus *frigoris*, non ἴσχει, *poſſideat* quaſi, *detineat*, *habeat*, (quaſi *habitu* quodam continuante occupet;) ægrum: bene verò *tenſiva* illa & ſpaſμώδης *ſtrictura* corporis; partim *ſenſui* ægri moleſtiſſima, partim *adſpectui* adſtantium conſpicua, ex illa *contractione* habitus corporis, à qua notus vulgo, adſpectus ægri velut *extenuatus*, vulgo hominum locutionem ſuppeditavit, der Patient ſehe ſo treflich übel aus / als wenn man ihn ins Grab legen ſolte: es müſſe ihm gewiß ſehr übel ſeyn / man ſehe es ihm wohl an ꝛc. quod quidem univerſum fundatur in *adſpectu* illo patientis, citò & *valde* quaſi *extenuato*, quod etiam aliter exprimunt, *latiore* tamen ſignificatu, er ſehe verfallen aus: vocem tamen etiam hanc ipſam adhibent aliquando, *ſtrictiore* quoque ſignificatui, de quo mox. Nullum itaque dubium ſupereſſe videtur, quin ῥῖγος in præſenti caſu, plus reſpectus involvat ad *ſpaſticum* Rigorem, quam ad *frigus*.

§. IX.

Progreditur *Hippocrates*, ad viſibilem aliquam circumſtantiam, dum *ſupercilia ſuſpenſa videri memorat*. Ne vero huic locutioni ſcrupuloſâ criſi, inhæreamus, ſuadet aliquanto magis infra memoranda, ſpectabilis conſtitutio peculiaris *oculorum* in hac conſtitutione; quos nempe memorat, *à ſuis locis capi ſeu comprehendi non poſſe*. Notus eſt autem hic affectus, in oculorum ſpectabili habitu, inprimis in *anxiis* & *metum* patienti incutientibus, pathematibus: unde, das ängſtlich Ausſehen / fürchterlich Ausſehen / gräulich oder greßlich Ausſehen / Germanis deſignatur. Imo in hoc propriè hæret, exquiſitior illa differentia, expreſſionum, ſehr übel ausſehen / daß einem gewiß ſehr übel ſeyn müſſe: & ſimpliciùs, verfallen ausſehen. Quarum priorem nempè, uſurpant magis proprie, quando Oculi

langvent: imò preſſius ad ſcopum, *illud*, quando Oculi quaſi *eminent*; hoc quando veluti *receſſerunt*, atque altiùs *deſederunt*. Unde expreſſa hæc ab Hippocrate circumſtantia, nihil magis proprie denotat, quam effectum talem *anxium*, & malè de ſuis rebus ſperantium, *meticuloſum*.

§. X.

Pergit Hippocrates commemorationibus ſuis, recenſendo *dolorem capitis*. Qui tamen cum omnis generis febrium admodum commune atque familiare ſit *ſymptoma*; vix proinde meretur peculiarem aliquam attentionem. Bene vero circumſtantia porrò memorata longe magis peculiaris, quod præſente affectu laborantes, *vomant*, *ſalivam calidam*, *& multam bilem*. Quæ nempe circumſtantia uti aliis Febribus æque *communis* non eſt; ita habet tanto majorem conſiderationem, & magis etiam peculiarem, præſente loco. Ne tamen etiam prolixitati locum concedamus, ne dum ut quæramus, jungemus allegatæ huic circumſtantiæ, adhuc illam, quam immediatè ſubjungit Hippocrates, dicens: interdum etiam *per inferiora dejici* ab ægris, nempe eadem *talia* atque *varia*, qualia per *os*, rejiciantur.

§. XI.

An hic *omnia* dixerit Hippocrates, quæ *vera* ſunt, quantumlibet omnia quæ dixit, ſint vera; ex eo in dubium venire poteſt, quod *ſimpliciter* Bilis mentionem faciat: cum interim ſatis notum ſit, quod *Bilis* differentes notentur, in ægris diverſis, *dyſcraſiæ*, quæ ipſæ non exiguam, ſed omnino *eximiam* diverſitatem gravioris efficaciæ poſt ſeſe trahant. Siquidem ibi *flava*, *vitellina*, *praſina*, *porracea*, *Iſatodes*, & denique *æruginoſa*, bilis, *communem* quidem habent *inſignem* malitiam; ſed *proprium* magis magisque, ejusdem *gradum*. Unde quidem tales circumſtantias preſſiùs deſignare debuiſſe *Hippocratem*, moneri poſſet. Notandum tamen etiam ſimul, quod vix adeo exquiſitè, etiam *in genere*, tunc quidem adhuc, diſcretum fuerit, multiplex hoc bilis *ſchema*; ſed ſub *duobus* generibus, *flavæ* & *atræ* bilis, quam plurimum reliqua

com-

comprehenſa. Sicut etiam, de reliquo, in ipsâ rei veritate fundatum eſt, quod non æque *unus* ſimplex *color* hujusmodi bilis, etiam *graviſſimos* tales effectus, comitari, & ad illos veluti ſufficere, ſoleat: verum etiam diverſa hujusmodi *ſchemata* ad hoc inſerviant: imò aliquando ab uno ſchemate in alterum faciant tranſitum: quod imprimis de *nigrorum* aut *fuſcorum* vomitu, aliis *coloribus* aliquando ultimo *ſuccedente*, valet. Aut per aliquot dies retentæ malignæ tales materiæ, tandem, *quinto* vel *ſexto* die, *ſurſum* aut *deorſum*, infeliciter rejiciuntur, quæ per ipſa *initia* non apparuerant, nec *excretiones* hujusmodi machinatæ fuerant.

§. XII.

Benè vero ad latus ſibi mutuò ponit Divus ſenex, *Vomitum bilioſæ* talis materiæ, & *dejectionem* per inferiora. Quamdiu enim *vomitu* nudo adhuc procedit hujusmodi materia, neque *dejectionem* ſimul, vel ſubit, vel affectare ad minimum apparet; (iterum dico, *multæ* bilis vomitus, modo non valdè *malè coloratæ*, aut plane *ſubnigræ* materiæ,) ſine altiore deſcenſus verſus inferiora ſenſu: tunc minus adhuc periculoſam eſſe univerſam conſtitutionem, quam ſi hæc inter ſe concurrant, ſpes eſt: Niſi admodum *acris*, nimis diu *continuans*, & reliqua graviora *Symptomata* involvens, ſit, & *materia*, & *commotio* ejus.

§. XIII.

Nec enimvero ſatis diſertè elocutus eſt *Hippocrates*, quo maxime *Tempore*, *vomitus* tales & *dejectiones* negotium periculoſè faceſſant. Rejici quidem *bilioſa*, cum *Febre*, perpetuo *inſolentis* eſt, & *periculoſi* eventus. Tantò magis tamen, ſi non per ipſa *initia* coortæ Febris, contingat, ſed longiùs jam *progreſſo* febrili *æſtu*, *Langvore* & *Rigore*. Deinde etiam periculo longe propinquius eſt, ſi diu admodum *continuent* excretionum talium conatus, & *intercurrentes* effectus. Interim quaſi digitum huc intendit ipſe *Hippocrates*, præfinito ſatis brevi *termino* gravioris eventus, de quo mox.

§. XIV.

Interponit autem Hippocrates, quod patientibus talibus *dolor per Cervicem* obtingat, & per *ingvina.* Licet autem hoc phænomenon adeo eximiæ conſiderationis eſſe non appareat, minime tamen etiam negligendum cenſeri debet, *duabus* imprimis ex rationibus. *Primo* enim monſtrat experientia, quod non raro in onerationibus ventriculi, quæ *vomitu* commode ſublevari poſſent, ſed non æque acris ad illum *contentio* jam inſtituitur, patientes equidem etiam *latiore Cephalalgia* exerceantur, interim imprimis etiam *poſticæ* partis capitis, circa proceſſus *mammillares*, adeoque per confinia *Cervicis*, exquiſita *tenſivo-contuſoria* ſenſatione infeſtentur. Secundò, monet alibi paſſim, inprimis in *Epidemicorum* libris, Hippocrates, quod rigidiores *tenſiones* per *Cervicem*, in *acutis*, partim *præſagiant*, partim proxime *comitentur* impendentem, *Phrenitidem.* At hos etiam ægros *delirare*, ſtatim audiemus.

§. XV.

Subjicit Hippocrates, ægrum ita affectum *delirare.* Raro equidem, & non niſi magno impetu efferatis omnibus circumſtantiis, atque adeo verè funeſto exitui propioribus, *continuum* aut *violentum* eſt hujusmodi *delirium.* In moderatiore autem adhuc malo nonniſi quando leviter *obdormiſcunt*, corripiuntur *phantaſiis* anxiis, & *aberrant* mente. Quantò magis autem *durabile* eſt delirium, & *ferocius*, eò difficilius utique conſtituta ſunt omnia ad bonam ſpem. Ceterum, ipſa quoque illa *oculorum* conſtitutio, ut illos *loca* ſua non ſatis *capiant*, *ferociori* obtutui propinqua, *delirantibus* ſatis familiaris eſt, aut *inſtans* etiam delirium, notante paſſim ſchola Medica, *præſagit.* Nihil autem de *Somno* memorat Hippocrates; quem tamen vel *nullum*, vel certè nomine tali, aut effatu, vix dignum, obtinent tales ægri. Et quando etiam *propenſio* quaſi aliqua ad dormiendum, in ipſis percipitur, non invenit tamen effectum; & quando Oculi connivent, turbantur mox *inſomniis*, & modo dictis *aberrationibus*, ut cum aliquo *terrore* expergiſcentes, non ſtatim ad ſe redeant.

§. XVI.

§. XVI.

Pergit *Hippocrates*, ad commemorandum *exitum*, his rebus familiarem. Talis, inquit, æger *moritur*, *ſeptimo* die, aut etiam adhuc *prius*. Neque verò fallit narratio; & ſicubi omnia narrata ſymptomata reverà ita *continuent*, rarum fuerit *ſeptimum* diem attingere. Sin autem mox ab *initio vomitus* & maturè *dejectiones*, ſeſe exeruerint, poſthac vero equidem *miteſcant*, *Febris* autem inſignis nihilo ſecius *perennet*, cum *anxietatibus vehementibus* per *præcordia*, tam vehementem ſucceſſum non æque aſſequitur totus morbus, ſed graſſatur *verſus ſeptimum*. Quodſi vero *tardè* cœperit *Vomitus*, & tunc demum *ſolus*, cum magis *tinctis* rejectorum coloribus, pejus ſe habet negotium, & *properat* etiam funeſtus eventus, cum omnium ſymptomatum majore *ferocia*.

§. XVII.

Si hos dies (ſeptem) ὑπερφύγει ſuperet, ſeu ad literam, *ſuperfugiat*, *ut plurimum* iterum *ſanari*, memorat. Sane verò & omnia reliqua *mitiora* fuiſſe opportet, aut ad minimum non *æquali* ferocia duraviſſe, ſi hæc eveniant, ut ultrà *ſeptem* dies perferat æger. Imprimis autem *vomitus* iſtos *bilioſos*, ſatis *maturè* eveniſſe, imo etiam *dejectiones*, & tam ab *impetu*, quam *frequentia* ſua, *tempeſtive* magis magisque *diminuiſſe*: nec etiam ipſam *Febrem*, adeo *æqualiter* & *conſtanter*, *magnam* & acrem perſtitiſſe. Secus enim non inveniet locum *ſalutaris* adhuc eventus.

§. XVIII.

Merito vero Hippocrates, etiam poſt allegatam hanc *feliciorem* aliquando evaſionem, immediatè iterum ſubjungit: *Eſt autem hic morbus* θανατώδης, *lethali eventui propior.* Cum enim ab *acerrima bile*, *pylorum* & inteſtinum *duodenum* rodente atque *urente*, & *ulceroſam inflammationem* his locis inducente, tota hæc Tragœdia oriatur: non, niſi in varietate *gradus* poſita eſt bona ſpes, adeoque affectus ipſe, maximi ſemper *periculi* compos. Licet verò etiam *dejectiones* tales, admodum *acriter* bilioſæ, non alibi frequentius occurrant,

rant,

rant, quam in *infantibus*, lacte adhuc nutritis; &, licet ibi etiam ſubinde calor *febrilis* concurrat: Tamen nihil tam facilè funeſtum involvit, niſi quidem *color* eximiè ad *praſinum*, *Iſatodem*, aut *æruginoſum*, pervenerit. Attamen, quando etiam in talibus ſubjectis *vomitus* ita *colorati* concurrunt, certiſſimi funeſti eventus, pariter compos eſt affectus. Quandoquidem ad *pylorum* quin ipſum *ventriculum* regurgitans, *acerrima* talis ſubſtantia, in partibus his ſenſibilioribus admodum, graviores ſemper affectus producit, & ſincerius etiam ferè ibi malitiam ſuam exerit, quam ſi qualibuscunque ſpiſſioribus materiis, coagulo *lactis*, *pulmentis*, &c. involuta, *deorſum* pellatur. Unde etiam obſervatu minime indignum eſt, quod Hippocrates in enarratione ſua, *Vomitum* huic morbo, nempè ita *funeſto*, ut *perpetuum* accenſet: *Rejectionem* verò per *inferiora*, ſimilis materiæ, *interdum* ſolum concurrere notat. Sicut etiam revera, quantò magis ad *inferiora* pergit, minus autem *ſurſum* graſſatur, manifeſtius *acrior* hujusmodi materia, tantò melior ſemper eſt ſpes tolerabilioris exitus. Maximè tamen, ſi *tempeſtive*, *largiter*, & cum febre adhuc *parvâ*; Excretio talis ſuccedat.

§. XIX.

Priusquam autem, veſtigiis Hippocratis ſimpliciter inſiſtendo, proſequamur conſilium, quod pro *Therapia*, huic morbo adhibendâ, commendat, non abs re fuerit, paucis diſpicere, qualisnam *ſpecies* Febris, hæc magis propriè haberi mereatur. Ab *eventu* certe morbos denominare, nec alias *Hippocrati* æquè uſitatum, nec etiam ſive *ſcientiæ*, ſive *arti* admodum proficuum eſſe poteſt; unde longe præſtat, à qualicunque *cauſali* potiùs habitu denominationes formare: aut ad ſummum à ſpectabilioribus aliquibus circumſtantiis, unde ad minimum facilior aliqua *dignotio* arceſſi poſſit, appellationes tales derivare. Ut taceamus, quod *terrifica* hæc appellatio, *Lethiferæ* Febris, quaſi germanicè diceres, das Mord-Fieber/ die Sterbeſucht/ nonſolum *horridum* aliquid audientibus objiciat, ſed & reverà hoc ipſum, ut deinde audiemus, propemodum

dum

dum præter exquiſitum ſui meritum, imprimis ſi *artis* ſubſidiarius concurſus, *tempeſtivè* & *peritè* obtingat.

§. XX.

Equidem minime male feciſſet Hippocrates, ſi aliquanto diſertius expreſſiſſet, quomodo *vomitus* ille, *calidæ ſalivæ*, & *multæ bilis*, ſeſe gerat, intuitu *temporis*, quo maxime viget? an per *initia* ſolùm, an vero *diutiùs*, vigeat; aut *tardius* demum, quam ipſis ſtatim primi morbis inſultibus, erumpat? Quicquid autem ſit, certè *multæ* bilis vomitio, cum febre multum *Rigoris* formante; imo *deorſum* etiam eveniens evacuatio ſimilis materiæ: cum *angoribus*, etiam *geſtûs* & *obtutum* ægri admodùm alterantibus, vix ignorari patiuntur, tam ubi præcipua poſſit eſſe *ſedes* mali, quàm quænam *materialis* cauſa, ſive *directa*, ſive peculiari ratione *conjuncta*, ſubſit, quæ hujusmodi effectus, partim directos, partim conſequentes, poſt ſeſe trahat.

§. XXI.

De *Cauſalibus* quidem reſpectibus, non eſt, cur unquam nos pigeat ſententiæ, quam ex mente D. D. Præſidis, ſupra jam protulimus; nempe quod imprimis ipſe *Hippocrates*, tum etiam propiores ejus ætati interpretes, ne ipſo quidem, quamvis in hoc genere exquiſitiore, *Galeno* excepto, quantumvis in *hiſtoriis* commemorandis ſatis exacti fuerint, ſimulatque tamen ad *cauſas*, & eorum, ut ſcholæ loquuntur, *influendi*, ſeu *agendi*, rationes progreſſi ſunt, ſatis raro quidquam protulerint, quod vel evidentem aliquam *certitudinem* facere aut exhibere poſſet; vel ad ſummum aliquid amplius, quam valde *generalem* reſpectum aſſequeretur. Equidem jam ipſe *Hippocrates*, ab *anteceſſoribus* hoc hauſiſſe videtur, ut, morbos, qui ingens *periculum* vitæ afferre conſueverunt, *Febrium* ordini accenſeat. Res eſt clara è Lib. de ratione victus in Acutis, ubi, licet primò *Morbos acutos*, τὰ πλεῖστα *ut plurimum*, (proprio ſuperlativo ſignificatu, quem τὸ *plerumquè* non ſatis exhaurit,) *hominem occidere* moneat; tamen, poſtquam nomina commemoravit, quibus *Veteres* hujusmodi, in genere *Acu-*

tos appellatos, morbos, tanquam per *ſpecies* notaverint, (*Pleuritidem*, *Peripneumoniam*, *Phrenitidem*, *Lethargum*, *Cauſum*:) ſubjicit: *& alios morbos*, quæ talia quædam habent, quorùm *Febres*, communiſſimè continuæ, *occidunt* hominem.

§. XXII.

Jam cum non ſolum in confeſſo ſit, quod nominatæ hæ *ſpecies*, affectuum, omni modo *conjunctam* habeant continuam *Febrem*; ſed ipſe Hippocrates etiam peculiariter adhuc notet, quod non peculiaribus nominibus æquè uſitatò diſtincti, adhuc alii ſimiles dentur, qui tamen etiam ipſi, non ſolum *Febrem* ſecum habeant, ſed & *talem* febrem, quæ ex ipſius ſententia hominem *occidat*: videtur omnino etiam hæc quam noſtro loco commemorat, *mortifera* Febris, ad *innominatarum* illarum cenſum pertinere.

§. XXIII.

Porrò autem, & quod ad noſtram rem etiam propius faciat, Libro de *Priſca medicina*, arguit Hippocrates, nominatim, eximiam efficaciam *bilis*, *amaræ*, & *flavæ*: & paulò poſt, humores *acutos*, ſeu potius abſtracta loquendi formula, *acores*, *acredines*, aut *acores acres*, & *æruginoſos*, incuſat: ſine determinatione, cui *humori* hæc pravitas propriè eveniat: aut quo in *loco* humor ille, quin ipſa illa *flava bilis*, ſive, ut iterum abſtractè loquitur, *amarities*, quam flavam bilem appellent, *effuſionem* de qua loquitur, ſubeat.

§. XXIV.

Sicut autem peculiari Diſſertatione D. D. Præſes enucleare ſuſcepit, *quinam* propriè, imo *quidnam*, ſint atque fuerint, *morbi* illi, *acuti Veteribus* dicti; & ibidem demonſtrare allaboravit, quod vere, ut primo loco Hippocrates loquitur, ipſi hi *morbi*, *in ſe*, *directe*, & magis *certò*, hominem occidant: nequaquam autem hæc, *lethalis* talis effectus aut eventus, *efficacia*, aut quæcunque *cauſandi* ratio, *directa* atque *perpetua*, FEBRI conjunctæ imputari poſſit, ullo, ne dum majore jure, quàm *morbis* illis *directis*, quibus *Febres* ſaltem *ſuperveniunt*

ſeu

ſeu *concurrunt*, atque conjunguntur. Ita ibi ſatis demonſtratum eſt, quod *primarii* hujusmodi morbi, nihil aliud ſint quam *inflammationes partium internarum*; *ſtaſes* inquam, ſive *ſangvinis*, ſive *acrium*, *urentium* atque *exedentium*, humorum, quibus *inflammatorius* appulſus atque tranſpulſus ſangvinis, tam pro *abſterſione diſcuſſoria*, quam tandem moderatione *ſuppuratoria*, uti *mechanicâ proportione*, ſummè, imo unicè, utilis, ita *morali*, *finali* (pro ſalvatione corporis,) reſpectu, *neceſſarius* exiſtat: & quod ipſa *Febris* talibus affectibus ſuperinducta, nihil aliud vel ſit, vel intendat, niſi exquiſitum talismodi effectum, imprimis *abſterſorio-diſcuſſorium*, *auctiore* circuli ſangvinis *impulſu* atque proſecutione, perpetrare. Sicut enim *extraordinariæ reſtitationes*, *ordinario gradu* impulſus & appulſus ſangvinis, utique *abſtergi* atque *diſtrahi* nequaquam poſſunt; interim, niſi *diſtrahantur*, certas profundiores *corruptiones* vel *ſubeunt*, vel *inferunt*, vel utrumque: ita auctior talis *impulſus* circuitus ſangvinis, auctiorem *calorem* corporis, inſeparabilem comitem trahens, eſt utique illud ipſum, quod πυρετῦ Græcis, *Febris*, latinis, nomine venit. Interim nequaquam hanc talem *febrem*, certiſſime vero *cauſam inflammatoriam*, ſi neque *diſcuti*, neque *concoqui*, (in *pus*, aut temperatiorem ſubſtantiam, uti ſperat Hippocrates de ſua *bile*, ſeu *amaritie* & *acoribus acribus*, l. all.) valeat: ſive, uti vulgo loquuntur, *inflammatio*, *male* cedens, hominem in his caſibus interimit: & hoc adeo certò, ut ſi talis interior inflammatio, etiam ſine omni concurſu *febris* evenire poſſet, aut inveniri; ſi ſaltim ut *inflammatio*, male cedere, nempe neque diſcuti poſſet, neque maturari, Nemo, credo, tam imperitus fuerit, ut neget, certam *mortem* inde expectandam fore. E quo luce meridiana clarius evadit, quod τὸ κτίνειν, το κτινῶδες, θανατῶδες, injuria in his caſibus rejiciatur in *Febrem*; quæ ſicuti potius ad *diſſolvendam lethiferam* illam *cauſam*, & phyſico-mechanice *apta*, & moraliter, nempe finaliter, *deſtinata*, & vivida activitate *continuanda*, eſt: Ita, ſi vel maxime hoc non agnoſceretur, ſed, uti ferè

vulgò fit, pro *directo* effectu reliqui morbi, nempe inflammationis, haberetur; Nemo tamen utique negare etiam ita valuerit, quod *directus* malus eventus atque effectus, *directe* tali potius *inflammationi* male cedenti in partibus *vitalibus*, quam ullo modo *Febri*, imputandus veniat.

§. XXV

Ut itaque hæc ad noſtram rem & in noſtros uſus, applicemus, quilibet propemodum intelligere hic poterit, quod *Febrem* hanc *Lethiferam*, ſi non ab ipſo eventu, tamen à circumſtantiis, ſatis jam delineaverit Hippocrates, citato loco de *Priſca Medicina*. Ubi nempe inquit: *Amarities, quam flavam bilem nominamus, effuſa, anxietates, ardores & æſtus, impotentias, ſeu virium defectus*, infert: - - - - *Acores acres* & *æruginoſi, furores, viſcerum* ac *Thoracis lancinationes, animi dejectiones*, inducunt: *interdum liberantur tales, vel ſpontanea purgatione, vel medicamento; quod ſi tempeſtive,* (ἐν καιρῷ ſatis *opportune*) *aliquid horum fiat, manifeſto, tam dolores laborioſi, quam calores remittunt: quamdiu autem iſta exaltata, non cocta, nec contemperata, manent, nullâ machinâ, neque a laborioſis doloribus, neque à Febre requieſcit* æger.

§. XXVI.

Quemadmodum autem ex his Hippocratis textibus imprimis, (nam profert etiam aliis adhuc locis, quæ huc eodem collineant,) facile fuerit colligere, quod etiam hæc Febris, quam hic *mortiferam* appellat, partim ad claſſem morborum acutorum, ſeu febrium cum morbis acutis conjunctarum, referenda veniat; partim quod ab *effuſa bile*, tanquam cauſa, pendeat, aut ſuſtentetur. Ita quidem, e noſtra mente, connexio etiam illa hic ſuberit, quod acrior bilis, in inteſtino duodeno, ad pylorum & ipſum ventriculum regurgitans, cauſtica ſua efficacia, arroſionem & inflammationem ibidem inducens, Febrem ita provocet, inflammationi tali, quoad fieri licet, proſpecturam. Cum vero bili ipſi ita effuſæ, nec in quantitate ejus, nec in qualitate, nec in motu, utiliter conſulere

valeat; ſed his ſcopis, & imprimis quantitati ipſi, per alium fortiorem particularem motum conſulere neceſſe ſit, quo nimirum illa ipſa e corpore, imo nominatim e ventriculo & inteſtinis, elidatur atque rejiciatur: aggreditur equidem hoc Natura per vomitum, & eliſionem deorſum, perficere: & ſicubi ſatis *tempeſtive* hoc agat, aſſequitur etiam ſcopum ſuum, & exequitur feliciter: ſi vero vel nimis *tardè* ſuſceperit hunc conatum; vel *cauſa*, *acrimoniam* talem producens, ita *vehemens* fuerit, ut nimium *citatâ* fermenteſcente acredine, *arroſiones* tales præcipiti progreſſu inferat: aut trepida magis Natura, ad *vomitum* non ſatis citò progrediendo, tempus ita concedat *graſſationi* profundiori: tunc valet utique primo loco illud ab *Hippocrate* traditum, & paragrapho præcedente allegatum, quod, *niſi his ablatis*, neque πόνοι, *laborioſi dolores*, *neque* FEBRIS, deſinant. Sed cum hæc ab Hippocrate expetita, materiæ hujusmodi ſpontanea *digeſtio* atque *correctio*, nec in ſe facilè locum inveniat; nec etiam illa ipſa *toti* malo ſatisfiat, quod nempè præcipue eſt ipſa *arroſio* & *inflammatio*: Fit inde utique, ut effatum Hippocratis veritati maneat conſonum, quod, niſi vel *ſpontè*, vel *arte*, nempè *pharmaco*, ἐν καιρῷ, *in tempore*, & prorſus *opportunè*, ſatisfiat *excuſſioni*, non ſolum πόνοι illi atque *Febris*, non remittant, ſed etiam penitus τὸ κτίνειν, *lethalis* eventus, ſubſequatur.

§. XXVII.

Eſt nempe Febris hæc, nihil aliud, niſi quæ, poſterioribus temporibus, *Cholerica*, paſſim à Practicis nominatur. Qua de re commeminiſſe convenit, quod proximorum ſeculorum ſcriptores, ſecuti in hoc genere anteceſſores e mediis ævis, *Choleram morbum*, *ſine Febre* fieri, aſſeverent: & tamen vel unius diei, vel alterius, ſpatio, ægrum *interimere* poſſe, adſtruant. Cum autem *ambiguitas* lateat in acceptione *Febris*; dum dictâ illâ *Cholerâ*, & imprimis ita *vehemente*, affecti, *horridis* utique *frigoribus* atque horroribus notorie exagitantur; una cum *angoribus* graviſſimis, (quorum intuitu etiam antiquiores *Choleræ* commemorationem, *ſyncopes* hiſtoriæ ſub-

 jun-

jungere ſueverunt,) ita continue obſidentur, ut *æſtui* locus non detur: à quo tamen eminenter, uti Græcis πυρετὸς, ita Latinis *Febris*, nominari atque notari ſolet: Non agnoviſſe hinc præſentiam *Febris*, diluceſcit, quamvis illa *congeſtione* humorum *ad interiora*, *inflammatoria* deſtinatione, omni modo hic non magis gliſcat, quam reverà jam vigeat. Notat hoc benè Hippocrates, dum *Febrem* hanc noſtræ conſiderationis, cum *Rigore* conjunctam eſſe, monet; nempe *frigore*, cum *ſpaſticis* compreſſionibus, & ſtricturis per habitum corporis, eximiis. Omnes autem Febres cum inflammationibus internis, inprimis infrà Diaphragma, conjunctas, eſſe φρικώδεας, univerſalis experientia affatim teſtatur. Unde firmum utiquè atque certum manet, quod hæc etiam, noſtræ conſiderationis, Febris, non ſit alia, quam *Cholerica* talis, nempe *inflammationi pylori*, *ventriculi*, & *inteſtini duodeni* ab *acerrima* biliosa ſaburra, conjuncta. In qua conſtitutione, cum præcipuus fundus mali innitatur *arroſioni* harum partium; cui vehementius factæ, *mechanicus* uſus *Inflammationis* non poſſit æque ſatisfacere: Facile hinc eſt colligere, quamobrem nec ipſa *excuſſio* materiæ noxiæ, ad univerſum malum *eradicandum*, *ſufficere* poſſit: Sed utiquè omnia, in *profunda*, & *præcipiti*, tali læſione, ſint periculoſiſſima.

§. XXVIII.

His ita perluſtratis, proſequimur *Hippocratis* ſententiam, circa has res *Therapevticè* tractandas prolatam. Jubet tali ægro *Refrigerantia*, *ad viſcera*, *&* *caput*, *admovere*. Hoc ipſo certe non obſcurè agnoſcit, locum æſtu affectum eſſe τὰ σπλάγχνα, *viſcera*, ſtrictiore ſenſu, nempe *Inteſtina*. Quamvis autem *caput dolore vexari*, mox ab initio memoraverit; cum tamen ibi non tam æque ardentis, ſeu *æſtuoſi*, doloris mentionem faciat, quomodo illi *Refrigerantia* opponere conveniat, ratio non ita in expedito habuerit: unde potius *Empiriæ* hoc dandum, quod modeſtè Refrigerantia, Capitis dolores conſolentur. Quantum autem ad *Inteſtina*, brevibus longa certe dicit, quando his *Refrigerantia* adhibere, προσίσχειν, jubet,

bet. Primò enim, non inanis eſt quæſtio, *Qualia*, ſeu *Quæ*, nominatim? Secundo, *Quomodo* applicare hæc liceat *viſceribus*? An *interius*? An ſolum *exterius*: quemadmodum aliter certè in *capite* fieri non poteſt, nec aliter intelligere poteſt videri, quando adhibitionem hanc *paris* medicamenti, tam *capiti*, quam *viſceribus*, uno halitu commendat. Sed longe ponderoſior eſt Quæſtio *Practica*, & imprimis *Clinica*, quem ſolidum effectum, à tali applicatione *externâ ſuper viſcera*, expectare, ſuffragante experientia, ſit integrum? Neque verò longè petenda venit Reſponſio, è tacita quaſi confeſſione Hippocratis, niſi mavis ſatis diſertam dicere; dum nimirum *inſiſtere* talibus ſuadet, donec *ſeptimus dies* præterierit. Ubi certè, ſi verum effectum *refrigerantem* aſſequerentur, minimè ad *ſeptimum* diem duraturum eſſet malum. Quid autem opus eſt diſſimulare artis defectus atque impotentias. Quem latere poteſt, tam commendationum Practicarum omnis ævi, quam experientiæ practicæ ſatis gnarum, imo etiam rationalis ætiologiæ hujusmodi rerum intelligentem, quod non ſolum experientia *Practica Clinica*, ſed etiam ipſa *Pathologica Theoria*, in nulla re gravius laboret, quam in *Inflammationibus*, tam *in genere*, rectè explicandis; quam imprimis, maximis illarum difficultatibus, ſi circa *interiora* eveniant, pro varietate, inquam, locorum *in ſpecie*, recte intelligendis: Et tandem, ſive *methodis*, ſive *medicamentis* & *experimentis*, vere efficace ope iisdem ferendâ. Unde propemodum tota ſpes, undiquaque, circa Inflammationem, *qua talem*, collocatur vulgò in *Refrigeratione*: quæ tamen ita *directè* & ſimpliciter, ſi revera *oppoſita* efficacia calorem *expugnaret*, nihil aliud niſi *corruptionem materiæ inflammatoriæ*, certiſſime poſt ſe ſe traheret. Uti latius oſtendere ſategit D. D. Præſes Diſſ. *de Inflammationis vera Pathologia*.

§. XXIX.

Unde adeo in præſente etiam negotio, niſi *materia* vel auferatur, vel *edometur*, & læſioni *corroſivæ* ſatisfiat, inanis erit omnis conatus, quidquam utiliter perficiendi. Imo, ſi,

juxta

juxta Hippocratem, *Febris* his rebus conjuncta, proprie esſet illud, quod hominem *occidit*; *Febris* verò talis, juxta eundem, & veritatem, eſt *συνεχὴς*, *continua*, per totum corpus vigens; quis huic uſus, aut quod auxilium, obtinget, a *Refrigerantium* adhibitione ad *Inteſtina*? Unde videlicet, undiquaque ſatis elucet, quod *curta* plane hic ſit *ſuppellex* talis artis, ad tam periculoſum *lethiferum* affectum: ſed omnia potius vix non diſertè, rejiciantur, in EXPECTATIONEM eventus, ad *ſeptimum*, imo *ſuperfugiendum* ſeptimum diem. Quod etiam profecto de hoc conſilio & auxilio in genere, per rerum Naturam aliter ſperari aut expectari, nunquam poterit; imò, ſi gravior jam invaluerit læſio, nec ullo alio artificio certo obtineri: ſed valebit hic certiſſime effatum *Hippocratis*, jam allegatum e libro *de Priſca Medicina*, quod nulla Μηχανῇ, *machina*, *arte*, *Ingenio*, neque *dolores*, neque *Febres*, ceſſaturæ ſint. Unde iterum effatum ejus, in præſentis tractationis commemoratione, pondus ſuum ſumit, quando repetitò aſſeverat, quod *morbus hic ſit θανατώδης*.

§. XXX.

Quemadmodum autem omnino ita, uti diximus, ſe ſe habet negotium, circa *conſilium* Hippocratis, pro qualibuscunque *caloribus*, probabiliſſimè vero *particularibus*, per applicationem *Refrigerantium*, iterum probabiliter *externam*, tollendis; quod nimirum neque *Febri* ſatisfacere poſſint, ut ipſe Hippocrates propalam agnoſcit, dum omnino *ſeptimum* diem expectandum fore, declarat: Nec etiam *Febris* ulterius duratura eſſet, certe non æquali Energia, & conſequenter periculo, ad ſeptimum, ſi vel *ipſi*, vel *cauſæ* ejus, tali conſilio, aut potius auxilio, ſatisfieret: Ita non minus etiam elucet, è præſentis affectus commemoratione, & adjecto tali conſilio, quam è quibuslibet aliis Hippocratis, commentariis, quod *præcipua Febrium Acutarum Therapia*, ab ipſo ſemper longè magis reponatur, in *ſpontaneis ſucceſſibus*, *ſecretionum*, *ſepoſitionum*, ſeu *ἀποςάσεων*, aut *excretionum*, (& quidem *criticarum*, nonſolum *pluribus*, ſed inſuper *ſtatis* planè, diebus, à

ſpon-

ſpontaneis progreſſibus expectandarum: quam in *artis*, ſive *abſoluta* atque *directa* aliqua ope, ſive magnifica aliqua opera, ſolùm etiam *concurrente*, aut luculentum aliquid conferendi compote. Unde obſervatu digniſſima ſunt, iterum proinde meritò, non magis alleganda, quam commendanda, *Hippocratis* verba, quod in hujusmodi conſtitutionibus, ab *effuſa inſigni amaritie*, *aut Acoribus acribus & æruginoſis*, *Angores*, *laborioſos dolores*, *virium dejectiones*, *Febres*, *furores*, &c. producentibus, *nulla* MACHINA liberari, aut ad *ceſſationem* horum malorum perduci, poſſint ægri: ſed unicè *materiæ illius*, *ἀποκαθάρσεος*, ejusdem validæ *dejectionis*, (quam rem Hippocrates, inuſitato tropo *proſtrationis humi*, innuit,) & tandem *commixtionis* cum aliis, ſive *expectando* eventu, ſive artis aliquo invento adjuvando, quicquid hic fieri poſſit, abſolvendum veniat.

§. XXXI.

Pro morbo vero adeò *ſummè periculoſo*, ut patientes nonſolum *ante*, aut *ad ſeptimum* diem, interimat, ſed etiam *communiſſime lethalis* exiſtat, nemo utique credet, tanquam *Remedii* alicujus nomine, aut maximopere ad ſummam Negotii facientis *conſilii* dignitate, reliqua referri poſſe, quorum *Hippocrates* mentionem ibi facit; nempe, *hordeum non excorticatum torrefactum*, *bibendum dare*; *Cibum*, aut *Sorbitionem* (nempe qualitercunque *ſpiſſiuſculum decoctum* ſive *juſculum*,) *non offerre antè ſeptimum*: adjecta etiam conditione, niſi *debilis* videatur, certe non ſatis concinnâ, cum *debilitas*, nonſolum ab *Hippocrate*, inter *eſſentialiter inhærentia* ipſi morbo, recenſeatur; ſed etiam antè *ſeptimum*, *mori* patientes, indicetur: ſanè verò *validi* non ſint morituri, *labentibus* autem, *ad mortem*, *viribus*, *ſorbitio*, aut *Cibus*, *miſerrimum ſolatium* præbitura ſint: Tantundem autem, *Ptiſanæ Succus*, *bis de die*, & *paucus* inſuper, exhibendus. Unde, ne tempus teramus, quilibet utique videt, quod univerſa hæc *conſilia*, in fundo non profundo, nihil aliud oſtendant, niſi, *aperta ſcena*, EXPECTATIONEM. Ut nempe *verus* at-

que *ſimplex* harum locutionum *ſenſus* non ſit alius, niſi ille unus, quod æger talis IN VITÆ PERICULO SIT, TAM ANTE, QVAM USQVE AD SEPTIMUM; quarum rerum eventum EXPECTARE oporteat, interim autem non niſi *tenuiſſimum potum* concedere: ab *eſculentis* autem (ſine dubio propter *impatientiam ventriculi vomibundam,*) *abſtinere. Ventriculi* autem *debilitatis*, aut potius *ſenſibilitatis* eximiæ, reſpectum hic ſubeſſe, etiam illud confirmare poteſt, quod ne quidem POST *ſeptimum* diem, & quod plus eſt, CUM FEBRIS ETIAM CESSAVERIT, aut ad minimum admodum REMISERIT, locum concedat, niſi *linctui* ſolùm, milii, & *parum* betæ atque cucurbitæ permittat, usque ad nonum: deinde etiam adhuc porrò quam *minimo* Cibo uti ſuadeat, &c.

§. XXXII.

Aliud autem aliquid *peccat* utique *Hippocrates*, inprimis, ſi apud *recentiorem* ſcholam Medicam dicenda ſit cauſa, quod ex aqua macerationis hordei torrefacti, *mulſam* conficere, & ægro exhibere conſulit. Sed cum etiam alibi paſſim, ad varios *Febriles* affectus, *acutæ periodi*, à conſilio *mulſæ*, aut *Oximelitis*, adhibendi, non ſibi temperet, viderit quomodo nigras fabas effugiat. Nos certè propter hanc ipſam rationem, quod veluti *communiùs*, etiam aliis *acutis*, *mulſam* deſtinare nihil vereatur, præſente loco, tanquam *directè* ad noſtrum Thema, hac de re prolixè diſquirendi, nullam idoneam cauſam invenimus. Neque tamen diſſimulamus, quod nec ad *acrimoniam* illam *bilioſam*, (quæ *fermenteſcentibus augeſcit* omni modo,) nec ad *inflammationem*, nec ad recentem *eroſionem*, imprimis *glanduloſo membranoſarum* partium, *mellis* uſum ſatis *accommodatum*, aut ſatis *ſecurum*, reputemus. Præſidii autem *poſitivi* ſpem, in illo, ad hunc affectum, collocare, etiam ἄτοπον atque irritum cenſeamus.

§. XXXIII.

Nequè verò etiam idoneam videmus rationem, quamobrem immorari deberemus illis, quæ ulterius monet *Hippocra-*

cra-

crates, de vitando, durante *dolore* & *Febre*, *Balnei* uſu, adhibendo autem, *poſt* Febrem. Cum enim noſtro Climati, *balneorum* uſum in Febribus *acùtæ periodi*, jam pridem diſuaſerit diverſitas *temperiei aëris*, & *aquarum*, adeoque nemo ſit, ſive *Theoreticorum*, ſive *Practicorum* Dogmatum peritus, cui *Cautela* de *non adhibendo* balneo, in tali caſu, opus fuerit: imo etiam uſus balnei *poſt* morbum, vacillantibus adhuc *viribus*, plus incommodi, quam veri commodi, inducere poſſit: propterea non placet his rebus, hoc loco, tempus impendere.

§. XXXIV.

Cum autem ita, partim circà *indolem* affectus, partim circà quodcunque *conſilium* aut *auxilium*, Hippocratis mentem inſpexerimus, equidem aliqua etiam adhuc è *noſtra* circà has res *Theoria* atque *Praxi*, ſubjiciemus; Non erit tamen etiam penitùs otioſum, adhuc ſemel, tanquam per ſummos apices, & brevi *ſpicilegio*, ſententiam Divi Senis *repetere*. Recenſere nempe ſuſcepit morbum non magis *ſummi*, quam *certi*, periculi compotem, & quem *pauci vivi* effugiant, longe *plurimi* autem *morte* luant. *Excerni* in hoc memorat *multam bilem*, cum *calida Salivâ*, (Cujus quare nullam rationem in tractatione habuerimus, datâ occaſione in diſputatoria velitatione rationem reddemus) *vomitu*, interdum etiam *alvo*. Exitum *lethalem*, *ante*, aut *ad ſeptimum*, fieri ſolere: Qui hos dies *effugerint*, ſic *plerumque*, vitam ſervare. *Quomodo* autem, ſive *bilis* illa, ſive *rejectio* ejus, CAUSALI aliquo reſpectu hic ſe gerant, non determinat: neque *conſilium* ſuppeditat, *quomodo* illi BILI, aut talibus ejus *reſpectibus*, conſulere ſit integrum, ut nocumenta occupentur. *Effectum* aliquem vehementem, *inteſtina* obſidere, agnoſcere intelligitur ex eo, quod inteſtinis *Refrigerantia* medicamenta adhibere ſuadeat: de reliquo, ſub *cautâ*, & ſumme *reſtrictâ*, *diætâ*, decurſum atque exitum morbi EXPECTARE potius, quam *obſervare*, ſuadet. Quando autem demum *periculoſi* illi dies PRÆTERIERINT, *Balneum* laudat.

§. XXXV.

Ex his, uti ſatis dilucеſcit, quod *Hippocrates* huic *Febri* ita à ſe deſcriptæ, neque *nomen* aliquod aſſignet, è quo qualiscunque *cauſalis* ejusdem *ratio*, & ab aliis *diſcretio*, colligi poſſet; aut aliter etiam mentem ſuam, circa hujusmodi *cauſalem* morbi *habitum* expromat: nec ipſa etiam qualicunque propoſita *Therapia refrigeratoria*, quorſum *directè* animum intendat, ſatis manifeſtum relinquat: ita poteſt tamen, tum ex allegato loco *de Priſca Medicina*, aliquid ad hanc rem faciens, colligi: tum hinc inde, de iis, quæ de καύσοις & καυσώδεσι, & *Eryſipelaceis* affectibus, commemorat, huc referri, imò, uti vulgo loquuntur, *trahi*. Ubi nempe neminem, utique harum rerum ab ipſa veritate & experientia ſatis *gnarum*, fallit, quod ſæpiſſime hujusmodi applicationes, equidem *poſſint*, commoda *explicatione* & *applicatione*, in uſum *trahi*; interim, ſi ex illis *diſci* demum deberet aliqua talium rerum veritas, ſerò profecto ita ad ejus ſcientiam pertingere liceret. Dum potius *induſtriâ* ſubinde opus eſt, minime *perfunctoriâ*, ad qualemcunque commodum ſenſum inde *exſculpendum*; quàm ut illo, tanquam *propria* ſuâ *luce* radiare, & doctrinam ſatis perſpicuam exhibere, valerent.

§. XXXVI.

Eloquimur itaque, tantò majore jure potius *directe*, quam jam ſparſim veluti innuimus, noſtram ſententiam, *Hippocratis* Opinionibus, ita utiquè, ut arbitramur, *conſentaneam*, ut ex illis hinc inde conquiſitis facilè *firmari* poſſit. Eſt nempè deſcripta hæc *Febris*, nulla alia, niſi *Cholerico*-καυσώδης. Ubi, licet etiam tam de ipſa *Cholera*, quam de vera ratione *Cauſi*, ſeu *ſtricte* dictæ *Ardentis* Febris, in *hodierna* æque, ac *antiquâ* Pathologia, circa veram *fiendi* & *eſſendi* rationem, non leves aut ſuperficiarii ſint hiatus; „(Imprimis circa veram indolem „*cauſticæ* illius efficaciæ *degeneris bilis*. Quam quidem & ipſe „jam *Hippocrates*, teſtante aliquoties jam citato loco de *Priſc*. „*Med*. & *Neoterici*, pro tali, nempe *urente*, *acri*, *rodente*, „agnoſcunt: Interim Recentiores imprimis, corruptelam

„*acer*-

acerrimam in *bile* imaginari ſibi non poſſunt, niſi *alcalinam*:" Dum *Hippocrates*, longè certè, propiùs ferit ſcopum, qui" ὀξύτητα δριμεῖαν, quod ACOREM, ſeu ACIDITATEM" *acrem*, interpretari jus fasque eſt, accuſat.)" Videntur tamen etiam Recentiores in viam redire, manducente experimento, quod *acrior corroſiva* aliqua *Aciditas*, *bili* affuſa, *colorem* ejus ita in admodum *viridem* elevet, ut velut antè oculos exiſtat ὀξύτης illa δριμεῖα καὶ ἰώδης *Hippocratis*, ſeu *aciditas valdè acris & æruginoſa*. Quomodo autem talis, è *concurſu* bilis, cum rebus *acriter fermenteſcentibus* (ſeu *aceſcentibus*,) naſci poſſit, è vera quidem, ſed non *ſpeculabunda*, verùm ſimplicius *practica*, *Fermentationis* arte, deprehendere licet; Ubi nonſolum *oleaginoſo-ſpirituoſa* vina, & *Aromatibus* inſuper adjectis, *generoſiſſima* præbere *Aceta*, ipſis maximè Culinis notum eſt: ſed iisdem, neſcio an non notius, quam ſpeculativæ arti, quod ad *vappidiorem aceſcentiam* diſpoſita *oleracea* v.g. *Braſſica capitata*, *Cucumeres* &c. additione *ſeminum oleaginoſorum*, *Anethi*, *Carvi*, *Baccarum Juniperi*, in *vinario-acetoſam* ACREM *aciditatem* tranſeant. Sicut etiam *Mel*, multa *oleagineâ* ſubſtantia prægnans, tantò magis aptum hinc eſt, ad valdè *acres acetoſas* fermentationes, & cum *bile confermentationes*, ſubeundas: atque inde nonſolùm *Colicas* exquiſitiſſimas, ſed etiam καυσώδεις, *Inflammatorias*, *roſiones* & *Ardentem* febrem, inducendum.

§. XXXVII.

Nequaquam autem, quod habet proverbium, *de Lana caprina* hic ſubeſt diſceptatio; ſeu ſupervacua forte ſpeculatio, *acida* ne, vel *alcalica*, verè haberi mereatur, *cauſtica* illa efficacia, quæ *Febris* hujus, ante omnia *æſtus internos*, & deinde *calidæ Salivæ* & *multæ bilis vomitus*, partim producit & exſtimulat, partim exhibet atque format. Sed eſt potius conſideratio verè *Practica*, nempe ducens utique *Medico-Therapevticam* conſultationem, ad ejusmodi *Remedia* inveniendа, quæ hujusmodi intemperiei propius quidem ſatisfacere poſſint. Qualia, ſi è contrariâ opinione eligantur, non

poſſint etiam utique, niſi penitus *adverſos*, *irritos*, & *contrarios*, exitus ſortiri. Ita enim certe ſi *alcalicæ* foret indolis, ſive πικρότης illa ſive ὀξύτης *bilioſa*, inane foret, *Abſorbentia* illi, aut *præcpitantia* dicta, objicere: ſi vero *acidæ* ſit *acredinis*, erit utique in talibus rebus præſidium.

§. XXXVIII.

Tantò magis autem operæ utique ingens erit pretium, harum rerum verum intellectum habere, ut denique illi, tanquam *præjudiciali*, quæſtioni, ſatisfieri poſſit, an utique talismodi ἀπόχυσις ſeu *effuſio*, nonſolùm verè ſubſit; ſed etiam illa, maxime efficacia *cauſtica*, inteſtinum *duodenum* & *pylorum*, *rodendo* atque *inflammando*, hanc, *viſcerum inflammatoriam*, *Febrem* exſuſcitet. Ut nimirum ita aliquod directorium formari poſſit, circa recte ordinandam *methodum*, quæ aliàs vulgo valde familiariter Febribus deſtinatur, *ſudoriferam*. An, inquam, talis, ullum locum hîc habere poſſit; & *quando*? aut, *an* potiùs, & *quando*, & *qualia*, *Alterantia* conveniant? & cui *rei* deſtinanda & exæquanda; *Febri* ne, an *humori* illi noxio? & *ubi* hærenti? Et quid ſentiendum de qualicunque ejus *effectu*, jam in hæc viſcera edito; quid de illo ſtatuendum, *prognoſi*: quomodo illi conſulendum, conſultis *methodis*, & *pharmaceuticis* auxiliis.

§. XXXIX.

Præſtiterit autem dubiis his è noſtra mente explanatiònem adjicere, cuilibet de reliquo ſuam opinionem ſalvam relinquendo. Omni modo habet ſe ita negotium, quod *bilis*, cum acriter *fermenteſcentibus* aſſumptis, copioſius commixta, *acido-cauſticam acredinem* contrahat; quæ inteſtina vehementer *ſtimulare*, imo *rodere*, & *inflammationes* in illis producere, valeat. Eſt autem hujus rei exemplar, ſatis familiare, apud *infantes*, *lacte* adhuc utentes; ut jam *vitello Ovorum* ſimilem; ſed *tenaci muco* & *grandinibus* veluti glutinoſis, permixtam bilioſam materiam, cum torminibus, & *febrili* calore totius corporis, dejiciant: Jam *gramineo virore* conſpicuam jam verè *æruginoſo* viridi colore affectam, cum *torminibus* & inquie-

inquietudine æquè, atque *æſtu febrili* undique majoribus: quibus etiam non raro ipſæ *convulſiones* ſuperveniunt, & funeſta Cataſtrophe finem malo imponit. *Bilioſam* eſſe, *flavam* illam materiam, argumento eſt, quod *canes* qui alias *caſeoſas* lactis, & tenerius fœculentas *pultis*, reliquias, quas per alvum infantes rejiciunt, avidè devorant, hanc talem excrementitiam materiam, nullatenus attingant, ſed ſub omnibus ſignis averſionis, derelinquant. *Acredinem* autem *acidam* eximiam, *viridis* hujusmodi materiæ, (tanto majorem, quantò *ſaturatior* apparet color,) demonſtrat, *corroſio* linteorum, ſuper quæ excreta talis materia, diutius relicta, & exhalante ſenſim humiditate, concentrata fuit: Quandoquidem tunc non alitet quam *Aqua fortis*, lintea talia corroſa relinquit, ut ad levem tactum, vix non in pulverem fatiscant, certe vero, in quaslibet minutias faceſſant. *Aciditatem* vero hujus acredinis, prodit etiam ipſe vere *acetoſus* ejusdem nidor, qui longe lateque ſe diffundens, odoratum ferit. *Cauſticam* ejusdem efficaciam, prodit affatim *arroſio* podicis tenellorum infantum, & *tenesmodes* conatus excretionem talem ſtipantes. Adultis autem evenientes *Vomitus* talium materiarum, jam *ſaporem* acido amarum exquiſitum, jam *ſtuporem* repentinum dentium, jam *ardorem* eximium faucium, jam concurrentem cum hoc *raucedinem* eximiam, objiciunt & inducunt.

§. XL.

Eveniunt autem, tàm *infantibus* hujusmodi humores, ad *Iracundiam* ſenſibiliter propenſis; ſicut etiam *nutricum* vehemens Iracundia, ſenſibiliter aliquid ad tales eventus contribuit. *Adultis* ipſis, ab *Iracundia*, ſtatim *antè*, aut *poſt*, aut *inter* ipſum paſtum, vehementius admiſſa, eveniunt facile *anguſtiæ cardialgicæ*, *tenſiones*, & veluti *gravitates*, in ventriculo, *appetitûs* lapſus, & *vomitus* admodum bilioſus, a quo, *tempeſtivè* facto, & *largiter* procedente, ad ſenſum ſublevantur: quantò diutiùs autem vomitus ita reſtitat, eò gravius habent patientes, & incidunt hinc fere in *Febres*, plus minus

ad

ad noſtræ tractationis indolem accedentes: aut, ſi nulla ſequatur excretio, veram *Ardentem* ſtrictè dictam, ſeu *Cauſum* propriè dictum.

§. XLI.

Obtingit autem proventus hujusmodi ſaburræ, aliquando etiam à *dulcium* acriter fermenteſcentium, (quibus injuria *ſaccharum* bonum & purum accenſetur, condemnantibus etiam hanc imaginationem velut infinitis exemplis quotidianæ obſervationis,) ut *fructuum horæorum*, *ficuum* recentium, *mellis*, &c. abuſu. Sicuti puerum, ſeptennem circiter, meminimus, ex ingurgitatione *panis melliti* rudioris, qualem piſtores pro culinari uſu excoquere ſolent, in acerrimam *cauſodem* Febrem incidiſſe, cum *obſtructione* alvi in quartum diem pertinaci, anguſtiis autem Cardialgicis graviſſimis: Silentio interim obſtinato, de prægreſſa talis panis devoratione: Injecto autem, quarto die, Clyſtere moderato, cum propemodum mortem impendere, imprimis ingens obfuſcatio oculorum, & viſibilis eorundem turbatio, qualis moribundis evenire ſolet, minitaretur, erupit *Vomitu* magna Copia ſubſtantiæ *ſub fuſco-flavæ*, liquidi mellis conſiſtentia, quæ fauces ipſas ſub tranſitu aduſſerat: Quo conſpecto cum proditam quaſi ipſo facto rem, conſcii putarent, demum elocuti ſunt, quid ingeſtione magnæ quantitatis *panis melliti* peccatum fuerit. Mox autem ab hac exoneratione melius meliusque iterum habere cœpit æger, & ante ſeptimum in bonam ſanitatem reſtitutus eſt. Eſt tamen etiam a fide non alienum, quod ipſa *excretio* bilis è folliculo ſuo, aliquando ſtimulo peculiari excedere poſſit; dico, tam *proventus* ejus in ipſa maſſa ſanguinea admodum augeſcere, quam *ſecretio* non ſolum, ſed ipſa etiam *excretio* ejusdem in inteſtinum *duodenum*, inſoleſcere. Facit

hanc

hanc ſuſpicionem iuſtam, partim notoria illa copioſior *effuſio* bilis, in ventriculum etiam ſubinde redundans, ab *Iracundia* graviore; partim effectus etiam non ignotus, & ſimiliter jam allegatus, *proventus* bilioſæ talis ſaburræ in ipſis *infantibus*, à graviore commotione iracunda nutricis. Hujusmodi quidem conſtitutio dico, e *totâ maſſâ* ſanguineâ copioſius *ſecedens*, & inſolente *effluxu* etiam e *folliculo* ſuo in ipſa inteſtina ita *irruens*, certe non poſſet, niſi graviſſimum negotium faceſſere, ubicunque verè obtingeret. Interim minime familiarem, & proinde facilem, eſſe talem hujusmodi mali ortum, colligere eſt ex eo, quod ferè, ubicunque hujusmodi ingenii aliqua *Febris*, aut quidlibet tandem ita Choleriώδες occurrit, in Clinica Praxi, ibi communiſſimè etiam in confeſſo inveniantur modo dictæ cauſæ, *iracundiæ* prægreſſæ, cum *fermenteſcentium* rerum proximè ſimul facto concurſu, per aſſumptionem per os: aut dulcium allegatorum abuſus.

§. XLII.

Quemadmodum autem ex hujusmodi circumſtantiarum verarum conſiderationibus, indoles totius talis *Febris*, una cum *cauſis* ejus proximis, ſatis eluceſcit; nempe *acrimonia* plus minus *cauſtica bilioſæ ſaburræ*; & ab hac *arroſio* primum, mox *inflammatio*, *pylori* & *duodeni*: cui *Febris* adjungitur: *Vomitus* autem, aut *conatus* vomendi, pro excutiendâ tali materiâ, quin etiam *dejectio*, ejusdem ſcopi: Ita digna adhuc conſideratu eſt antè dicta differentia illa, ſi *directæ* excretionis *bilis*, ſeu *effuſionis* ad inteſtinum, aliquod vitium ſubſit; Ut illa *diutiùs*, *majore copiâ*, & *inſolentius*, ita eò profundatur. Quandoquidem in tali caſu utique fomes totius mali, ita ſemper ſuſtentatus, nihil bonæ ſpei relinqueret. Cujus contrarium, aut ad minimum valdè diverſum, contingit, ſi, velut a ſemel & *ſimul* factâ, *largiori* talismodi effuſione, bona portio, talis corruptelæ cauſticæ, equidem formata fuit, ſed non æque novis acceſſionibus ſuppletur. Fundus autem bonæ ſpei, poſitus tanto magis eſt in eo, ſi *artificiale* ſubſidium juſtum & adæquatum, TEMPESTIVE applicari poſſit: aut

ipſa etiam *expurgatio*, uti rectiſſime monet *Hippocrates*, ἐν καιρῷ, ſatis *tempeſtive*, facta ſit, & ſufficienter exhauriat materiam.

§. XLIII.

Quemadmodum autem ita, è dictis dilucescere poteſt, quod utique in hac Febre *Choleriode*, ingens ſit reſpectus, ad *tempeſtivam*, ſive *evacuationem*, ſive *correctionem*, *cauſticæ* talis atque *corrodentis* materiæ; & proximè, ad illatæ jam *arroſionis*, & inde contracti *ardoris*, *mitigationem* & *abſterſionem*: Quibus rebus decenter præſtitis, ut omne periculum eo ipſo ſublatum eſt, & inſuper tam *inflammatio* in parte, quam *Febris* in toto, ceſſant: Ita meretur certè tantò ſolertiorem contemplationem, vera via atque *methodus*, cujus ope hos ſcopos aſſequi, ſuffragante experientia ſit integrum. Sicut autem etiam, circa res ad ipſam Praxin pertinentes, ἀπράκτοις ſpeculationibus fruſtra tempus inſumitur; ita habet tamen locum *Theoria* harum etiam rerum, *vera*, & è *Praxi*, ſeu ſolida hujusmodi affectuum *notitiâ*, fluens contemplatio. Quæ videlicet circa *duo* imprimis *dubia* ſe ſe exercere poteſt; nempe, *primò*, quousque *evacuationes*, in hujusmodi conſtitutione, locum, & uſum, habere poſſint: *Secundò*, an etiam, ulla probabili ratione, *neceſſariæ* haberi mereantur.

§. XLIV.

Primum quod attinet, non æque illud quæritur, an *evacuatio*, mox in redundantiâ illa *bilis* in *duodenum* & *ventriculum*, uſum aut locum habere poſſit; quandoquidem adeò non in quæſtionem venire meretur hæc res, ut potius & ſimpliciſſimæ *rationi*, & ipſius Oeconomiæ vitalis juſtiſſimo *ordini*, hoc congruat, *motibus* potius, *ſecretoriis* & *excretoriis*, res ad nocendum aptas abigere, quam converſioni illarum in *melius*, tempus atque curam impendere. Sed, quod quæſtionem hanc non ita ſimpliciter otioſam reddat, eſt illud obſtaculum, quod raro patientes ita *tempeſtivè*, artis conſilium aut auxilium exquirant, quamdiu materia talis adhuc, ut Practici loquuntur, in *motu generationis* exiſtit; i. e. præſtò

quidem

quidem eſt in ventriculo, utpote in eundem diffuſa; ſed tantam *malignitatem*, ſive corruptionem, nondum nacta, ut valde graves hujusmodi & potentes effectus, vel quam proxime *poſſit*, vel plane jam *cœperit*, perpetrare. Ut adeo proprius quæſtionis ſenſus ſit, an talem *acrem*, imò *acerrimam*, *cauſticam* materiam, ad *evacuationem* COMMOVERE, quam maxime conſultum ſit? Ubi certe non debet ſilentio involvi, tam inſita *Naturæ*, quam per experientiam conciliata, *arti*, ſolertia, circa rei, quæ in quæſtione verſatur, adminiſtrationem. Ita enim videmus, non ſolum ipſa, ſed certe ſola, Clinica vera experientia, quod Natura ſæpe numero *tergiverſetur* excuſſiones tales machinari; quando materia hujusmodi jam eminentem talem *acrimoniam* verè contraxit. *Practici* vero ſolertiores, *Antiquiores*, uno propemodum ore, in *Cholericis* quantumcunque conſpicuè *bilioſis* rejectionibus, peculiari ſtudio cavere jubent, ab omnibus artificialibus auxiliis, *evacuationes* tales *directè promoventibus*, ſeu quoquo modo *ſtimulantibus*.

§. XLV.

Interim ratio nequaquam contemnenda etiam harum rerum, eſt utique in promptu; ſiquidem non ſolum, *acrem* ejusmodi materiam, imprimis *deorſum*, per *teneriora* inteſtina, deturbare, quæ illa non ſolum longe lateque *aggredi*, ſed etiam per tantam illorum longitudinem quaſi totis iisdem ſe ſe illinere, adeoque *excretionem* in rei veritate fruſtrari poſſit, nequaquam utique conſultum, aut veri ſui ſcopi compos eſſe poſſet. *Secundò* vero, nihilo minus, ſed magis potius, prægnans ratio, quamobrem hujusmodi *commotiones*, ad excretionem ſuſcipere, non iniuria dubitare liceat, eſt ſtatus *pylori*, *Duodeni*, imo *Ventriculi*, jam jam talis (loquimur autem de conſtitutione jam ita *malignâ*,) ut importunioribus *ſtricturis*, *Emetico-Colico catharticis*, ſine *inflammationis* æque atquè *doloris* periculoſis exacerbationibus, *Excretio* minime tentari, nedum abſolvi poſſit.

§. XLVI.

E quibus certe conſiderationibus non difficile eſt colligere, quod in tali conſtitutione, qualem *Febris Cholerica* jam vere offert, non ſaltem tam *eximius uſus* non ſit, ſed ne *locus* quidem, liber & velut indubius, tentaminibus ejusmodi *commotoriis*, neceſſario *torminoſis*, *emeticis* & *Catharticis*: Quæ nec ipſam materiam ſatis *certò* exantlare & plene excutere valeat: neque ſine partium jam graviter affectarum, acerba *torſione* & *concuſſione*, in effectum deduci valeret. Unde profectò non ita levis haberi debet, tam *Naturæ*, quam *Artis*, in hoc genere *cautio*; utpote fundata, ex una parte ſuper *incerto* effectu hujusmodi conatuum: ex altera vero, ſuper longe certiore *exacerbatione* damnorum, partibus his internis jam oblatorum.

§. XLVII.

Progredimur itaque potius ad illum Nervum quæſtionis, qui veritatem *Artis* quam maximè reſpicit; nempe, an *evacuatio directa*, (tanquam neceſſario certè *laborioſa*, & per dicta etiam *periculoſa*,) cenſeri poſſit *neceſſaria*? Pro hac recte declaranda, notandæ utique ſunt diverſæ *partes* æque, atque *poteſtates*, *Artis*, & *Naturæ*. Intereſt maximopere *Naturæ* humanæ, abeſſe hanc materiam & tolli è ſuo corpore; Difficultas autem hæret in eo, quod in *poteſtate* Naturæ non ſit, aliter materiam hanc effugere, niſi *excuſſionibus*: quandoquidem nonniſi molem ejus, *quantitatem* ſeu totam ſubſtantiam, pellere ſolum & alio movere, valet; *qualitatem* autem ejus *expugnare*, in ſua *poteſtate* nullatenus habet. Ex adverſo vero *Ars*, poteſt hic aliquid amplius, quam *Natura*; nempe *qualitates* hujusmodi malas, præſertim in talibus adhuc *locis*, ubi magis immediatus *contactus* Remediis pateat, potenter *alterare* & aliquo modo etiam *ſubigere* vehementem illam malitiam talismodi ſubſtantiæ: Aut certè, quicquid *Ars* hic non poteſt, *Natura*, in hoc, inquam, propoſito, *nusquam* & *nunquam* poteſt.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Quod itaque *Naturæ* intuitu *neceſſarium* utique eſſet, ſed factu, ipſius *methodo*, difficillimum, & maximè *ambiguum*, quin *periculoſum*: illud *arti* propterea *minus* eſt neceſſarium, quia in hujus *poteſtate*, plus adhuc eſt, & bonæ ſpei longè propius: quomodo antè omnia *qualitatem* peſſimam enervare poſſit, qua ſublata, *quantitatis*, imò totius ſubſtantiæ, parva amplius eſſe poteſt ratio, aut conſideratio. Imo, cum *Natura* nihil hic tentare poſſit, ſine periculo jam male affectarum *partium*; poteſt hoc *Ars*: nempe, citra ullam *exagitationem* harum, hoſtilem ipſis materiam impugnare: imò potius inſuper partes has ipſas *conſolari* atque *demulcere*, *ardoris* contemperatione, & *acrimoniæ* penitiore abſterſione.

§. XLIX.

Equidem jam ipſe *Celſus*, de *Cholera* per *artem* occupandâ, ſatis magnificè ſenſit, quando elocutus eſt, *quam gravis & periculo proximus ſit hic morbus*, *tam facilè*, & levi quaſi negotio, ipſi conſuli poſſe. Sed optandum certè eſſet, ut è ſui temporis panopliâ proferre potuiſſet, verum aliquod, & *directum*, Artis Inſtrumentum, cujus beneficio, *certò* ſatis, atque *tutò*, hoc promiſſum in effectum deducere liceret. Recentioris autem Medicinæ, illa utique eſt felicitas, (modo inconſiderata evagatio, & quaſi luxurioſa ſpes temperetur;) ut, in *Abſorbentibus* Remediis, invento potiatur, quod revera ejusmodi effectibus quadret, quales antiqua Praxis aſſequi neutiquam valuerit: Modo, quod certè iterum iterumque notari meretur, non altiùs, quam quoad licet per veritatem, animi aſſurgant.

§. L.

Non equidem tacenda etiam venit illa Naturæ ſibi conſulturæ ſolertia, quod in verè *bilioſis* hujusmodi affectibus, *ſitim*, ſeu appetitum ingentem *potulentorum*, exerat. Cum enim *liquida*, qua talia, & imprimis ſimpliciora, ad *acrium*, imprimis *acidorum*, dilutionem atque prolutionem, eximiè

utique inſerviant; non ineptum haberi poteſt conſilium, in caſu ubi *acido-acria* talia incumbunt, affectare velut & efflagitare, copiam liquidorum. Sed cum etiam nauſeoſa illa *vomibunda* ſubverſio ventriculi, in *Cholericis* hujusmodi caſibus, vel non diu ferat, vel ad minimum non altiùs demittat, *copioſa*, (in quo nervus rei ſitus eſſe deberet) liquida: fit inde, ut hoc etiam conſilium, ut alias fit in rebus trepidis, non ſemper ſatis ex voto Naturæ ſuccedat, aut cedat.

§. LI.

Quod proinde etiam notandum, tam de *Hippocratis* conſilio, quod videri poteſt huc inclinare, de *potu* hordei non excorticati, torrefacti & confracti, (excolato) offerendo; Ubi tamen non præcipit ſatis *largam* hujus menſuram: Ptiſanæ vero ſuccum, non ſolum diſerte *paucum*, & *raro* inſuper, (& manifeſto alio ſcopo, nempe *nutritivo*,) ſed etiam *frigidum*, præbere ſuadet: quod ultimum, in *Cholericis* conſtitutionibus, experientia vix conſenſerit fieri: Quam de *Sydenhamii*, eodem inclinante præcepto; qui *Cholericis* hujusmodi excuſſionibus, etiam cum *Febribus* conjunctis, *copioſum* potum, nempe *ſæpe* & *affatim* hauriendum, deſtinat, è decocto admodum *tenui* pulli gallinacei, (dum unum talem, in aliquot menſuris Aquæ concoquere præcipit;) quem pariter ſi ita ſæpe & multum bibere æger ſuſceperit, ut ipſa Praxis Clinica ſatis teſtatum reddit, vix aſſequitur ſcopum ſuum, dum communiſſime, velut eo momento, quo aſſumitur, ſeu deglutitur, etiam iterum *ejicitur*: ventriculus etiam, apud pleroſque tales, ab importunioribus ejusmodi irritationibus, in tantam *ſenſibilitatem* conjicitur, ut mox nihil quidquam amplius toleret, quin non ſolum ſtatim iterum excutiat; ſed etiam plane vacuos *conatus*, præter modum, ad eximiam patientis debilitationem, diu multumque continuet. Unde hoc inventum, ad minimum cum eximiâ prudentiâ, diſcretione perſonarum, & imprimis *virium*, & non aliter, in effectum deduci poteſt.

§. LII.

§. LII.

Repetimus autem meritò votum noſtrum, ut *vera* aliqua, *rationi*, aut ad minimum *experientiæ*, conſona, *methodus*, aut *Empiria*, ſuppeteret, cui inniti liceret, pro efficaci tractatione *Inflammationum*, ſpecialiſſimè vero *interiorum*. Quemadmodum enim hæ nunquam ſecurius tractantur, aut ſalutarius expugnantur, quam *diſcuſſione*; interiores autem aliam tractationem, ſeu potius alium eventum, nempè *maturatorium*, etiam planè non ferunt (propter vix poſſibilem, non ſolum *puris* evacuationem, ſed imprimis *conſolidationem*, in organis tam abundanter vaſculoſis,) *Refrigeratio* vero, nempe curatio caloris *inflammatorii*, i. e. *ſuppreſſio motus auctioris humorum per partem affectam*, non ablata *ſtaſi* materiæ, rationi contrarium ſit cœptum, & nulli alii rei, niſi *ſphacelo* viam ſternens: Ita ſatis utique ſolerti, Clinicæ Praxeos, & ejus non tam pollicitationum aut opinionum, quam verorum eventuum, obſervatori, facile dilucefcet, quid in hoc genere potius ſpeculationi, quam effectui, conſentaneum, deprehendere liceat.

§. LIII.

Neque vero, pro conſtitutione noſtræ tractationis, ſatisfaceret etiam, ad ſolam *inflammationem* animum hic dirigere; cum potius *primam*, ordinis, & *præcipuam*, efficaciæ intuitu, conſiderationem ad ſe vocet, effuſa illa *acrimonia*, quæ actuali *roſione*, *Inteſtina* & *pylorum* lædendo, & actualem continui ſolutionem ibidem perpetrando, univerſis his reliquis malis conſequentiis præeſt. Huic enim niſi ſatisfiat, fruſtrà ſimpliciter ad *effectus* ejus intentio dirigitur; utpote qui, in tali conſtitutione, *immanentes* ſunt, & perpetua graſſatione inſiſtunt.

§. LIV.

Ne verò præmonſtrationibus inutiliter tempus teratur, eloquimur potius disertè, quid his rebus convenire, imo optatum effectum, magis quam quidquam aliud, certò præſtare, compos eſſe poſſit. *Methodus* dirigenda eſt, I. Ad materiæ

teriæ hujus *acris Correctionem*; II. *Inflammationis diſcuſſionem*: ſenſus autem *Ardoris mitigationem*; III. *Febris Compoſitionem*: IV. Factæ *Arroſionis Reſtaurationem*. Poteſt equidem his rebus interſeri, excuſſionum *Emetico-Catharticarum* refrenatio; cur autem hujus, in *directa* methodo, nullam habeamus rationem, cauſa eſt *duplex*: *prima*, quod ſatis notum ſit, quomodo huic ſcopo, trivialis Praxis ita inhiet, ut conſultum potius duxerimus, illam ne quidem nominare, adeoque hoc ipſo vel tacite indicare, quod illam, *directâ* & ſimplici conſideratione vere indignam iudicemus; ſiquidem *ſecundo*, ſi modo allegatis ſcopis, & ante omnia primo illorum, recte ſatisfit, ſponte etiam ceſſat omnis hujusmodi *impetus*, imo ipſe *Conatus*: Aut denique, facillimo negotio etiam huic ſatisfit, imo per talia remedia, quæ ſimul etiam alteri alicui utili intentioni proſpiciant. Unde ad *ſecundarias* curas hoc rejicere, omnino integrum nobis manet.

§. LV.

Quod autem *primum* noſtrorum ſcoporum concernit, tam *rationi* rectæ, quam *experientiæ* conſentaneum eſt, quod *Acido-acri corroſivæ* materiæ, nihil melius quadret & ſatisfacere poſſit, quam *Abſorbentia*. *Terrea* quare aliis proferamus, & imprimis *Oſtracodermata*, prolixum eſſet hic explanare. Illud unum monemus, quod ſolertiâ privatâ non indigna ſit experimentalis perveſtigatio, quænam *Terrea*, & *facilius*, & minore *quantitate*, ſubactioni acidorum ſatisfacere valeant, & quænam *ſchemata* novarum concretionum inde prognaſcantur. Quemadmodum autem conſideratu digna hic eſt, famam etiam aſſecuta inter recentiores, commendatio *Cratonis*, *Cryſtalli montanæ* pro *bilioſis* torminibus atque *Diarrhæis* infantum: Ita tamen etiam non fallit ſedulos obſervatores, quod concrementa illa *Criſtallina*, quæ e *ſtanni* præſertim fodinis erui ſolent, a vulgo metallifoſſorum, Druſen appellata, non tam ſimplicem *abſorbentem*, quam revera *ſtypticum* effectum exerant: qualem noſtro ſcopo minime ſectamur, ſed potius combibitionem laudamus,

mus, quæ *fluidam* etiam conſiſtentiam non adſpernetur, cum terrea *mineralia* proniora ſint ad *tophaceam* denſationem capeſſendam &c. Sicut autem hoc genus remedii, ſpem boni effectus utique minime fruſtratur, ita tamen ſimplex utique ſana ratio facile dictat, quod, cum ſoli materiæ illi *corroſivæ*, & ulterioribus ejus *effectibus*, non vero jam *factis*, ſatisfaciat; quod propterea *tempeſtivus* quidem ejusdem uſus præſentaneum optimum effectum ad totius mali ſummam exhibere poſſit: Quodſi vero *tardius* demum, in uſum trahatur, (aut trahi etiam poſſit, tardius vocato Medico,) quamvis *ulterioribus* malis effectibus ita ſatisfaciat, tamen jam inductis, non conſulere poſſit. Quod imprimis propterea monendum venit, ut illa, ſuper cœcâ Empiriâ fundata, certe ubi etiam non decebat, paſſim uſitata, quærela: *medicamentum non ubique ſatisfacit*, in viam rationis, prudentiæ, & *methodicæ* adminiſtrationis, reducatur, & nihil ab illo, rationi ipſi adverſum, poſtuletur.

§. LVI.

Placet autem experimentum allegare, ut imitatu non difficile, ita certe conſideratione minime indignum, in hoc ipſo genere. "Vir, mihi Præſidi, notus de meliori nota, lit-"teratus & curioſus, Practicus etiam ſolertiſſimus, nunc bea-"tus, *Dn. Hermannus* M. L. & Practicus Calæ Altenburgicæ, "cum effectus *Acido-Acres* Bilis, ab *Iracundiâ* exagitatæ, in ſe ipſo & aliis notaviſſet, ſuſcepit, *largam* quantitatem *Ab-"ſorbentis* illi opponere; quem in finem *Oculorum Cancri* "Unciam dimidiam, *quatuor* præbiis ita deſtinavit, ut qua-"tuor deinceps horæ quadrantibus aſſumerentur, cum paulò "largiore vehiculo. Ita quidem *Cardialgici* illi affectus, "velut ad ſenſum, mox evanuerunt, ſecuta verò, velut "ordinariè, eſt *Catharſis* aliquot ſedium, quâ *fluida* ſubſtan-"tia, quaſi affatim *Croco* imbuta, nempe exquiſitiſſime *flava*, excernitur. Quam rem uti prolixius hic deducere, neque tempus ipſum ſinit, ita quilibet inde collegerit quantum poterit.

§. LVII.

Inflammationis diſcuſſio, directa, his in caſibus, in *artis* poteſtate nullatenus eſt; ſed in *ſolius* Naturæ cura: quæ tamen etiam ſpem non ita temere deſtituit, ubi læſio nondum nimium profunda facta eſt. *Ardorem* autem, quod egregie ſoletur, (nam tenuis mucilago *hordei*, quam Veteres laudaverunt, quantum hic ſatisfacere poſſit, neminem fallit,) nos laudamus NITRUM purum, imprimis a ſuperflua *acredine* liberatum, quale quid *Lapis Prunellæ*, perite paratus, exhibet. Non autem otium hic eſt oppoſitionibus, (inter quas nequidem ab ineptiis ſubinde abſtinetur,) hoc *loco* & *tempore*, reſpondere, ſed cogit nos *tempus* brevem excuſationem offerre, quæ hæc eſt: Qui *rationem* adhibere, & *experientiam*, *ſecundum rectam rationem* adornare, & in his omnibus ſolerter verſari, cordi habuerint, illi ulteriorem confirmationem non poſtulabunt: Qui his rebus animum ſubmittere non voluerit a ut potuerit, illi liberum eſto, ab illis abſtinere; nobis autem æquum, tempus non otioſe prodigere. Vanam autem eſſe opinionem, ac ſi *Nitrum*, debita *moderatione* datum, alvum quoquo modo *provocet* aut *exſtimulet*, quia utique ab imperitis non poteſt, a peritis audiendum eſt; qui etiam confirmabunt, quod *Nitrum*, debita cum prudentia exhibitum, potius *ſtimulos* alvi proturbatorios, enervet, & proinde *Diarrhœas ſymptomaticas Febrium petechizantium*, ſedet. Qui vero tanquam κατ᾽ ἄνθρωπον rationem aliquam expendere volunt, illis commendari meretur conſideratio, quod *Nitrum* utique in *faucium* inflammatoriis affectibus uno ore commendetur ab univerſo choro Practicorum: Quanta vero intercedit differentia, ratione *ſenſibilitatis*, ſubtiliter *glanduloſæ*, & humorum transfluxui aptæ, *texturæ*, cum *ventriculi* & *duodeni* ſubſtantia comparando.

§. LVIII.

Reſtaurationem arroſæ ſubſtantiæ, *directe* ab *arte* præſtari nequaquam poſſe, quilibet harum rerum decenter peritus, facile agnoſcere poterit. Neque vero adeo *ancipitem* habendam eſſe, aut quaſi negligentem, illam viam, ut hoc nego-

go-

gotium totum *Naturæ* relinquatur, ſuffragabitur eximia hujus operandi promptitudo, in *Dyſentericis* ſubinde etiam valde gravibus, non ſolum *arroſionibus* ſed plane *abraſionibus*, Inteſtinorum. Unde quidem ſi huic ſcopo, *ſpecialiſſima* artificia *extrinſecus* admovenda deſtinare, animo ſedeat, poterit *Scordium*, prærogativam antiquam ſuæ laudis hic allegare: ad minimum certe, ſi non magnopere hunc ſcopum ſuffulciat, alii nulli nociturum, ſed potius boni aliquid præſtiturum.

§. LIX.

Par ratio eſt FEBRIS. Sicut enim hæc, læſioni *inflammatoriæ ſuperinducitur*; ita illa ſublata, etiam ſponte *remittit*, & pedetentim tota ceſſat. Quemadmodum autem etiam *Febri*, vere *intellectæ* atque æſtimatæ, nulla *directa artificialis* cura, ſatisfacere poteſt: ſed omnia dirigi debent ad ſucceſſus optatarum *ſecretionum* & *excretionum*; Ita in hac etiam *Febre*, quicquid ad *inflammatoriæ ſtaſeos* diſcuſſionem facit, quacunque licet cura atque opera, obſervare; aut, ſicubi liceat, *præſtare conſilium* certè, &, ſi in effectum deduci poſſit, etiam *auxilium*, erit optimum, adeoque meritò exoptandum. Unde cautio ab *inconſideratis refrigeriis*, *internis* & *externis*, (intelligo autem *actuale* frigus,) & quanta unquam poteſt conſervatio placidæ *Diapnöes*, uſum hic præſtabit, in quo acquieſcere licuerit. Si vero *Roſionis* & inflammatoriæ *ſtaſeos* malitia coërceri non poſſit, certe abſurdum erit cum *Febre* pugnare velle, ſiquidem hæc fruſtra tentabitur, & facilius ad *anomalias* incitabitur, toti affectui male convenientes, quam ut *tollatur*, aut utiliter *minuatur*. Unde habebit Medicus, quod agat, in morbo *primario*, *acuto*, nempe *viſcerum* læſione, ſi *ſecundario*, *Febri*, efficacem opem præſtare, ſecundum ſanam rationem ſperat.

§. LX.

Excretionis tam *Emeticæ* quam *Catharticæ*, ſimplicem atque *directam cohibitionem*, quamobrem nec ipſi in conſiderationem adduxerimus, neque laudare ullatenus valeamus, poterit, credo, e recte penſitata vera indole hujus affectus, agnoſci; Ab *adſtringentibus* etiam *ſeriò* dehortamur: *Opiata disſvademus*, *primò*, quia non *neceſſaria*; *Secundo*, quia ad *nocen-*

cendum idonea, imprimis in *Inflammatione* latiore, & multum prævalente. Si etiam *Deliria* concurrunt, & *Dejectio virium* jam ſit major, prudentiores, (quanquam illi alias faventes,) hic ſine dubio diffident. Si opus videretur, ſubacta prius potiſſima *malignitate* materiæ, efferum *conatum*, ſive *emeticum*, ſive *Catharticum* refrenare, poterit huic ſcopo abunde ſatisfacere ſimplex Cortex *Chacarillæ*, Doſi etiam planè moderata, gran. X. ad XII. aut ſi ad manus ſint, *Pillulæ Balſamicæ* D. D. Præſidis, cavendo ſolum a malæ fidei *mangoniis*.

§. LXI.

Tantò magis autem diſſuadenda ducimus, *intempeſtiva* conſilia aut auxilia pro *Sudationibus* inducendis. Sicut enim ipſa quoque *ratio* dictare poterit, quod ad morbum totum, aut *primarium*, *viſcerum* læſionem, & *Cauſam* lædentem, *Diaphoreſis* nonſolum *inutilis*, ſed etiam potius *noxia* eſſe poſſit; *acres* humores latius in *ſanguinem* introducendo, & inflammationem in parte *exagitando*: Ita ad *Febrem* ſeorſim quoque, nullius erit uſus, cum hæc tolli non poſſit, niſi ſublato *primario* malo, *Inteſtinorum* læſione. Sufficere vero poteſt, talis continentia ægri, qua ſolum non impediatur *ſpontanea* lenis *ſudatio*, aut ſine liberior *tranſpiratio*, quæ ita ſatis proſpiciet placidæ *diſcuſſioni* atque *ventilationi*.

§. LXII.

Sanè verò, ſi hucusque à nobis laudata *methodus*, & Remedia, ἐν καιρῷ, juxta *Hippocratem*, locum invenerint, felici ſucceſſu minime deſtituentur; & amittet formidabilis hic affectus minas ſuas. Si verò nimiò tardius in uſum trahantur, aut perverſis auſibus malè tractatus jam fuerit morbus, & vires ſumſerit profundius graſſando, erit certe etiam tunc verum Hippocratis Elogium, nempe quod affectus ſit θανατώδης.

Et ita quidem ſperamus propoſitum noſtrum ad felicem finem perduxiſſe, qui ab Arte, tanquam cum recta ratione effectivo habitu, usquam expectari poſſit. Unde Divinæ Clementiæ, nunquam intermorituras laudes, atque gratias, nuncupamus.

S. D. G.